



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apis Argvmentosa P. Georgij Schröteliij

Schrötel, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1633

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](#)

J. I.
49. Th. 2713.



Collegij paderbornensis 1648.



Serenissimo, ac R^{mo} Principi
ac Domino,

Dn. F E R D I-
N A N D O , A R C H I E-
P I S C O P O C O L O N I E N-
S I , S A C R I R O M A N I I M P E R I I
per Italiam ArchiCancellario, & Prin-
cipi Electori, Episcopo Monasteriensi,
Paderbornensi, & Leodiensi, Admini-
stratori Hildesiensi, Berchesgadensi,
& Stabulensi, Comiti Palatino Rheni,
Vtriusq; Bauariæ, Westphaliæ, Anga-
riæ, & Bullionis Duci, Marchioni
Franchimontensi, Domino meo Cle-
mentissimo, Æternam fe-
licitatem.



N T I Q V I S S I M I
moris est, Au-
tores suis libel-
A 2 lis in

EPISTOLA

Iis in' publicum editis , Patronum quærere , cuius auctoritas Theoninum dentem abarceat . Ego Augustissimam Matronam habeo , alium Patronum non quæro , sed fidelem Clientem , qui hanc Patronam , quam libello hoc colendam propono , intimis sensibus amet , atque ardentissimis votis colat . Celsiorem autem , mihi que magis perspectum non reperio , quam Te Ser^{me}. Princeps Ele^{ctor} , cuius erga hanc nostram , totius inquam Mundi Augustissimam Patronam , singularis pietas ,

EPIS T O L A.

pietas, dulcis amor , & cultus
mihi probè cognitus est. neque
fortassis meliorem huius rei te-
stem,in terris habere poteris,cui
Celsa animi Virtus Tua, & pie-
tas , magis explorata sit. Scio
modestiam Tuam non ferre
palpum,nec me dare decet,alio-
quin huius singularis cultus , ac
pietatis,clarissima specimina,in
medium afferrem. Per se lo-
quuntur Arae erectæ , perpetim
ardentes lychni , anathemata
preciosa , aliaque in varijs lo-
cis clarissima monumenta,
huic Celsissimæ Virgini Deipa-

A 3

ræ,æ

EPISTOLA.

ræ, à Te Ser^{me} Princeps dicata.
Id vnum iam ago; quæ Monachij in Aula Ser^{mi} fratris Tui
Maximiliani S. Rom. Imperij
Electoris Dapiferi, ante annos
plus quam viginti, ex Cathedra
dixi, in hanc formam redacta,
typo Tibi confecro; non ut cal-
car, minimè necessarium, ad
maiorem amorem & cultum
huius Augustissimæ Nostræ
Patronæ addam, sed ut occasio-
nem aliquam, commodius eam
inuocandi, præbeam. Ut hoc au-
derem, fecit ipsum libelli argu-
mentum, quod scio Tibi Ser^{me}

Prin-

EPISTOLA.

Princeps ingratum esse non posse. Tu hanc Matrem pulchræ dilectionis, amanter, & reuerenter colere perge : nefas erit de reciproco huius fidissimæ Patronæ amore, & fauore dubitare. De cætero huius cumprimis Diuæ pijs visceribus , & Tuo Ser^{me} Princeps clementissimo fauori, me quam demississimè committo.

Ser^{tis.} Tuæ

Humillimus Capellanus.

Georgius Schrötelius.
Societatis IESV.

A 4

B E-



BENEVOLO LECTORI S.

NON est mihi animus, scribere Mariale, vel Marianum opus, quod multi Veteres, & recentiores eruditи Viri, admodum feliciter praeſtiterunt, sed voluminibus non paruis.. Ego Enchiridion paro, & libellum spirituale, in eum potissimum finem, ut qui Litanias Deiparæ Virginis, tum Lauretanas, tum alias ex S. Scriptura collectas, recitant, ubi tot Elogia, Vaticinia sacra, & alia mysteria Beatissimæ Virginis continentur, clarius intelligere, & cum maiori deuotione orare possint. Nil noui mihi arrogo, præter methodum,

AD LECTOREM

dum meditationum puncta, & pia ad
Deiparam suspiria. Cetera SS. Patrū,
aliorumque Doctorum sunt, quæ Apis
mea Argumentosa delibauit ante An-
nos 20. & eo amplius, quando Litanias
has, Monachij tempore Aduentus, in
Aula Serenissimi Electoris Maximi-
liani, Vtriusque Bauariae Ducis &c. ex
cathedra explicavi. Quia tamen vix
medianam partem absoluerauam, hactenus
varijs impeditus, reliquum laboris di-
stuli, donec iam aliquid otij nactus, id
à me impetraui, ut extremam manum
adhiberem. Id dum facio, aliqui amici
me hortati sunt, ut ad honorem glorio-
sissimæ Virginis, & in gratiam omnium
Deiparæ amantium, hunc qualis quam
laborem posteris consecrarem, &
typis vulgarem. Qui verò mihi per-
suadere non potuerunt, ut performam
concionum ederem, ita consilium mo-
deratus

AD LECTOREM.

deratus sum, ut ad modum p̄ij libelli id
facerem, & post explicata mysteria,
puncta quædam meditationum, & pia
ad communem nostram Patronam su-
spiria subiicerem, eabreuitate, ut t̄edi-
am, & fastidium cauerem. Stylus erit
qui spirituales libellos decet, simplex
& humilis. Tu beneuole Lector hoc meo
conatu fruere, & dum p̄iè subinde ge-
mis, me quoque dulcissimæ Matri Dei,
quâ viuum, quâ mortuum, vel unico
deuoto suspirio amanter commenda.

LITA-



LITANIAE LAVRETANAÆ.

KYrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.

Sancta Maria,
Sancta Dei genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Christi,
Mater Diuinæ gratiæ,
Mater Purissima,

Ora pro nobis.

A 7

Mater

Mater Castissima,
Mater Inuiolata,
Mater intemerata,
Mater Amabilis,
Mater Admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Saluatoris,
Virgo Prudentissima,
Virgo Veneranda,
Virgo Prædicanda,
Virgo Potens,
Virgo Clemens,
Virgo Fidelis,
Speculum Iustitiae,
Sedes Sapientiae,
Causa nostræ lætitiae,
Vas Spirituale,
Vas Honorabile,
Vas Insigne deuotionis,
Rosa mystica,
Turris Dauidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,

Ora pro nobis.

Ianua.

S. DEI GENITRIX.

5

Ianua cœli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorū Omniū,

Agnus Dei qui tollis peccata Mundi,
Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata Mundi,
Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata Mundi,
Miserere nobis.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie eleison.

Christe eleison. Kyrie eleison.

Ave Maria.

Sub.

Ora pro nobis.

4 LITAN. LAURET.

SVb tuum præsidium confugimus S.
Dei genitrix, nostras deprecationes
ne despicias in necessitatibus nostris
sed à periculis cunctis libera nos semper
Virgo gloriosa, & benedicta, Domina
nostra, mediatrix nostra, aduocata no-
stra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio
nos commeda, tuo filio nos repræsenta.

Vers. Ora pro nobis s. Dei genitrix.

Resp. Ut digni efficiamur promissio-
nibus Christi.

OREMVS.

GRatiam tuam quæsumus Domine
mentibus nostris infunde, vt qui
Angelo tuo nunciante Christi fi-
lij tui incarnationem cognouimus, per
passionem eius & crucem ad resurrectio-
nis gloriam perducamur. Per Dominum
nostrum Iesum Christum &c.

Vers. Ora pro nobis Beatissime Ioseph.

Resp. Ut digni efficiamur promissio-
nibus Christi.

OREMVS.

SAntissimæ genitricis tux sponsi
quæ-

S. DEI GENITRIX. §

quæsumus Domine meritis adiuuemur,
ut quod possilitas nostra non obtinet,
eius nobis intercessione donetur. Qui
viuis & regnas in sæcula sæculorum.
Amen.

Præmitto Lauretanæ, toti orbi Chri-
stiano notas, & aliquot iam sæculis piè
decâtatas. In quibus hoc vnum moneo,
eo compendio me vsum, vt synonyma,
& quæ idem quasi significant, ad cauen-
dam tautologiam, & quoddam tædium,
ad vnum, & primum quidem eius titu-
lum qui in Litanijs occurrat, reuocau-
rim. Vt v.g. sub primo titulo S. DEI GE-
NITRIX, simul comprehenduntur Mater
Christi, Mater Creatoris, Saluatoris; Itē
Mater diuinæ gratiæ, Mater amabilis,
admirabilis. Similiter sub Titulo Virgo
Virginum, facile intelliguntur Mater
purissima, castissima, inuiolata, inteme-
rata: Virgo prudentissima, veneranda,
prædicanda, potens, clemens, fidelis. Por-
rò alia quædā Epitheta, & laudes B. Vir-
ginis; vt vas electionis, honorabile, in-
signe

6 LITAN. LAURET.

signe deuotionis; salus infirmorum, refugium peccatorum, consolatrix afflictorum, auxilium Christianorum, nulla explicatione indigent, cum sint plena consolatione, & suo ipso nomine, suauiter in pios animos influant.

S. DEI GENITRIX.

Quod ad huius Dei genitricis dignitatem, & gratiarum sublimitatem attinet, quandoquidem neque hominū, neque Angelorum lingua eam fatis exprimere potest (testē Epiphanio de laudibus Virginis) frustra id calamus meus tentabit. Sufficiet mihi dicta quædam SS. Patrum in medium afferre, vnde in animis nostris admiratio, reuerentia, spes, fiducia oriantur, vt quoties mystrium hoc piè recolimus, deuotio nostra, vel ad ipsum Mariæ nomen pronunciatum crescat.

Laurentius Iustinianus de se ait: *a Supereminentem excellentiam B. Matris Dei,*
saltem

a De Purif. Virg.

S. DEI GENITRIX.

7

saltem lippienti oculo cordis contemplari an-
helans, horreo, & valde timeo. Quod enim Dei
Mater est, inquit a (ex B. Anselmo) excedit
omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel
excogitari potest. Similibus verbis utitur
S. Bernardus b quia ait hanc dignitatem
infinitè superare, quidquid sub Deo homine
excogitari potest.

S. Bernardinus Senensis ait: c Quod fæ-
mina conciperet, & pareret Deum, est & fuit
miraculum miraculorum: Oportuit enim, ut
sic dicam, fæminam eleuari ad quandam qua-
si æqualitatem Diuinam, per quandam infi-
nitatem perfectionum & gratiarum, quam
creatura nūquam experta est. Vnde, ut credo,
ad illam abyssum imperscrutabilem omnium
charismatum Spiritus Sancti quæ in Virgi-
nem descenderunt, in hora diuinae conceptio-
nis, intellectus humanus, vel Angelicus nun-
quam potuerunt pertingere.

S. Augustinus in illo celebri sermo-
ne super Magnificat (si tamen ipsius est)
inter

a De excell. B. Virg. c. 2. b Super Miss. & de
Natiu. Virg. c. Serm. 61. de B. V. c. 12.

inter alia ita ait : *Audacter pronuncio, quod nec ipsa Mater Dei , plene explicare potuit, quod capere potuit: Sed Spiritu Sancto docente didicerat, sic sua per humilitatem tegere.*

Quid ergo calamus vel adumbrare tentet, quod nec humanus, nec Angelicus intellectus capere , nec ipsa Mater, mysterij conscientia, pro dignitate satis explicare potest?

Andreas Cretensis Archiepiscopus, & antiquus, & B. Virginis deuotus auctor, cum desperaret quasi de explicatione huius materiæ dignitate, velut in extasi raptus , hoc vnum balbutiuit, nō uum, & inestimabile hoc mysterium, ab omni infinitate infinites infinitè esse exceptum. Qui potest capere , capiat, & explicet.

S.Bernardus ex B. Anselmo, ita ait: *Hæc est nostræ Virginis gloria singularis , & excellens prærogatiua, quod filium vnum eundemq; cum Deo Patre meruit habere communem.*

a Dr. I. de dorm. B. V. b Ho m. i. super Missus
Idem.

S. DEI GENITRIX.

9

Idem asserit S. Augustinus. *a* Caro Christi, inquit, caro est Mariæ. Et infra: Caro Christi quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ susceppta est de Maria.

Petrus Damianus ita scribit: *b* Cum Deus in omnibus alijs rebus, sit tribus modis, in Virgine fuit quarto, speciali modo, scilicet per identitatem, quia idem est, quod ipsa. Hinc taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem.

Apparet ergo hanc dignitatem, ad ordinem c vniouis hypostaticæ pertinere, quam intrinsecè respicit, & necessariam cum illa coniunctionem habet.

Vnde & D. Thomas asserit d, deberi hinc Virgini excellentiorem adoracionem (hyperduliae), quam alijs sanctis, quia sua operatione fines Diuinitatis

pro-

a De Assumpt. B.V. c. 5.

b Serm. de Natiu. Marie.

c Suar. p. 3. tom. 2. Disp. I. Sect. 2.

d 22. q. 1 S3. a. 4. ad 2.

propius attingit. Idem D. Thomas disputans, Num Deus possit meliora facere ea, quæ fecit, afferit B. Virginem ex hoc, quod est Mater Dei, habere quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est Deus: Et ex hac parte non posse aliquid fieri melius ea, sicut non potest aliquid melius esse Deo.

Idem indubitanter affirmat S. Bonaventura D. Thomæ æqualis, dicens: *a Ipsa Mater Dei est, qua maiorem Deus facere non posset. Maiorem Mundum facere posset Deus, maius cœlum facere posset Deus; Maiorem Matre Dei, non posset facere Deus.*

Magnum est Angelo, ut minister sit Domini, b sed Maria sublimius quiddam meruit, ut sit Mater. Tantòque excellentior Angelis facta munere singulari, quanto differentius præ ministris, nomen Matris accepit.

Ex his paucis SS. Patrum testimonijis facile appareat, quām sit hæc Dei mater
Adm-

a In speculo B.V.c. 8.

b Bernh.in Natiu.B.V.

S. DEI GENITRIX. II

Admirabilis, ut de ea Ecclesia in his Litanij canit. Et hac quidem occasione, recordor nostri P. Iacobi Rem p.m. mihi familiariter noti, qui tot vaticinijs clariuit: Cum enim Ingolstadij, sanctū illud Colloquium, seu Angelicam Sodalitatē primus instituisset, eiusque paternam curam, per annos non paucos habuisset, accidit aliquando ut Sodales in suo Ora- torio Litanias Lauretanās Musicē canta- rent, cumque illud encomium Virginis canerent, Mater Admirabilis, ora pro nobis; ille repente humo surgens, quasi ex raptu ad se rediens, accurrit ad Musi- cos, & hoc elogium repeti iussit, afferens B. Virginem eo valde delectari. Vnde quidam non vanè coniecerunt, ipsum hoc à B. Virgine tunc ex visione quadam didicisse. Aliqui qui præsentes fuerunt, dum hæc scribo, adhuc in viuis sunt.

Verè ergo admirabilis est Mater Dei, in quam Deus illam imperscrutabilem omnium charisimatū Spiritus sancti abyssum transfudit, vt S. Bernhardinus loqui-

loquitur, & qui hanc Virginem Matrem
Dei dicit, omnia dicit. Aliunt enim qui-
dam Docti Viri, & huius vnius Virginis
gratiam & merita, maiora ac perfectiora
esse, quam omnium aliorum Sancto-
rum, & Angelorum, simul collecta; ad-
eoque eam solam pluris à Deo aestimari,
& diligi, quam omnes puræ creaturæ si-
mul à Deo diligentur. Ita etiā S. Bernar-
dus loquitur, serm. 4. super Salve Regi-
na. Tu sola, inquit, totam Spiritus sancti gra-
tiam possedisti, quam alij habuere per partes.

MATER VIVENTIVM.

Apellatur autem in sequentibus
Litanijs etiam Mater viuentium, iu-
xta illud Gen. 3. Et vocauit Adam nomen
vxoris suæ, Heua, eo quod mater esset cuncto-
rum viuentium; futura scilicet mater om-
nium hominum, qui ex ipsa, eiusque po-
steris aliquando nascerentur.

Neque verò in hoc sensu Maria, Ma-
ter viuentium ab Ecclesia prædicatur:

Eua

¶ Shar. in 3. part. tom. 2, q. 18. s. 4.

Eua enim potius morientium, vel moriturorum mater fuit; Maria autem vere viuentium, vita iustorum. Vnde S. Augustinus. *a Eua, inquit, inobediens meruit pœnam; Maria obediendo consecuta est gratiam. Illa gustando prohibitum, maledicta; hæc credens Angelo, est benedicta. illa nobis mortem contulit; hæc Virgo vitam nobis peperit.* Vnde inquit Epiphanius hæresi 78. Maria Mater viuentium per ænigma appellatur.

Ideo in hymno canit Ecclesia; Vitam datam per Virginem, Gentes redemptæ plaudite.

S.Bernardus b, valde clare hoc explicat: *Lætare, inquit, tu pater Adam; sed magis ô tu Eua mater exulta; quia sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores; imo prius peremptores quam parentes: ambo inquam consolamini super filia, & tali filia: si vir cecidit per fœminam, iam non erigitur nisi per fœminam, &c.*

B

Est

a De 5. hæresib. c. 6.

b Hom. 2. super Missus.

Est ergo Maria mater viuentium,
 id est, iustorum, qui vita gratiae viuunt,
 & scripti sunt in libro vitae. Ita & ange-
 li, & beati in cœlis appellantur. Credo
 videre bona Domini in terra viuenti-
 um. *a* Item, Tu es spes mea, portio mea
 in terra viuentium. *b* De impijs autem
 dicit Psalmista ; delectantur de libro vi-
 uentium *c*. Est ergo Maria omnium
 piorum parens , ut pulchre ostendit S.
 Bonaventura ex S. Ambrosio Maria, *d*
 inquit , non solum est mater Christi
 singularis , sed etiam mater omnium
 fidelium vniuersalis. Vnde B. Ambro-
 sius ait : *Si Christus est credentium frater,*
cur non ipsa, quæ genuit Christum , creden-
tium sit mater ? Eia charissimi omnes nunc
gaudeamus , nunc omnes gaudendo dicamus:
Benedictus frater, per quem Maria est nostra
Mater: & benedicta Mater , per quam Chri-
stus est noster frater.

MA-

*a Psalm. 26. b Item 114.**c Item 68.**d in speculo B.V.c.8.*

MATER DIVINÆ
GRATIÆ.

Vocatur etiam in his Litanijs, Mater diuinæ gratiæ, Certe ab Angelo gratia plena dicitur ? a A Sancto Bernardo inuentrix gratiæ vocatur. & à B. Ephrem b fons gratiæ, & totius consolationis.

S. Bernhardinus Senensis id videtur explicare : c Plenitudo, inquit, gratiæ fuit in Christo, sicut in capite influente; in Maria vero, sicut in collo transfundente.

a Serm. 2. de Aduentu.

b Serm. de Laudib. Virg.

c Conc. 61. a. I. cap. 10.

MATER PVLCHRÆ DI-
LECTIONIS.

Appellatur etiam in sequētibus Litanijs Mater pulchræ dilectionis,
B 2 & san-

16 LITAN. LAURET.

& sanctæ spei, ex Ecclesiast. cap. 24. Ego
mater pulchræ dilectionis, & timoris, &
agnitionis, & sanctæ spei. Super quæ
verba S. Antoninus ita ait. *a* Notantur hic
tres illæ virtutes Theologicæ, quas Virgo ha-
buit in mente, earumque actus produxit, &
in alijs procurat. Charitas enim notatur ibi
(pulchræ dilectionis) vnde procedit timor re-
uerentialis. Fides ibi (agnitionis) per eam e-
nim habetur cognitio, de necessarijs ad salu-
tem. Et sanctæ spei, quod dicitur ad exclu-
dendam vanam spem. Hæc ille.

a 4. part. tit. 15. c. 17. §. 3.

PIÆ CONSIDERATIO-

N E S.

I.

INgenuos liberos decet, reuereri suos
parentes, & quidem cura magna, ne
eos in minimo offendant, sed semper
in gratia eorum permaneant. Tu ergo
vigila ne tantam Matrem, tui tam a-
mantem offendas. Scis autem, quibus
maxime offendatur.

Decet

2.

Decet præterea reciprocus amor
ut omnia obsequia eis genuina proles
præstet libenter, & prompte ; non coa-
cte, sed vltro, quæ scit illis esse grata. Hoc
parentes valde recreat. Nostri vocem cœ-
lestis Patris ; hic est filius meus dilectus,
in quo mihi bene complacui. Tu da o-
peram, ut simile quid, hæc cœlestis Ma-
ter tua, aliquando de te dicat.

3.

Decet etiam obedientia prompta,
& facilis, quæ vel ipsos nutus obseruet.
Tu huius matris tuæ voluntatem scis,
& nutus eius intelligis, quo te dirigat,
quid à te petat, aut in te desideret : obse-
queré.

4.

Decet imitatio. Sicut enim fere
faciem parentum imitatur proles, &
communem quandam inclinationem
ex naturali complexione ad varia ha-
bet : ita maxime decet, virtutes paren-
tum æmulari. Intuere ergo Matris tuæ

B 3

innu-

innumerar Virtutes , admirare , imita-
re.

5.

In necessitatibus proles recurrent ad parentes ad matres maxime. Idem fac tu in necessitatibus tuis. Sic te insuescit Ecclesia ; sub tuum præsidium confugi mus S. Dei Genitrix , nostras depreca- tiones ne despicias , &c. Vbi periculum tibi creari vides , curre in sinum Matris : hic tutuseris.

6.

Parentes volunt rogari , licet ul tro dare parati sint ; nec facile offenduntur etiam importunis precibus. Tu assuesce humilibus , & assiduis petitio nibus. Sæpius repete , Monstra te esse Matrem &c. fortassis etiam in corde tuo aliquando Matris vocem audies , Monstra te esse filium. Probis liberis nihil negari solet: petulantibus autem , & immorigeris negatur aliquando in pœnam , quod petitur .

Humi-

7.

Humiliter acceptandæ sunt correptiones & castigationes parentum, quæ ex amore procedunt. Quem enim diligit Dominus, a castigari, Ego, inquit, quos amo, arguo, & castigo. b Sæpe ad probationem fit. tu omnia patienter à matre, tantopere te amante, accepta. te ipsum accusa, veniam pete. Infortunia, morbos, quoscunque aduersos casus, pro merita castigatione interpretare, maxime quando conscientia te accusat alicuius singularis negligentiæ, aut lapsus.

8.

Nihil arduum, sine consilio parentum, decet filios inchoare Communica tua consilia, cum hac tua Matre, pete benedictionem, si quid arduum præ manibus habes.

9.

Quo maioris dignitatis parentes
B 4 sunt,

a Hebr. 12.

b Apoc. 3.

sunt, eo minus degenerare deberent liberi. Multum est à parentibus celso loco natis, procreari; sed interim etiam filius est gaudium, & corona parentis, si & ipse per virtutes ad magna euehatur. Maior grauitas, & honestas morum tales decet. Tu si de tali Matre tibi gratularis genuinum te filium moribus, & in omnibus vitæ tuæ actionibus ostende.

10.

Liberi magnam spem, & fiduciam collocatam habent in hæreditate diutum parentum: & quo ea amplior est, eo maior spes, & exspectatio.

Proh quantam hæreditatem, à tanta Matre, sperare habes. Verissimum illud sapientis est, sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. *a* Filius qui hanc matrem honorificat, inestimabilem in cœlis thesaurum depositum habet.

O R A-

a Eccli. 3.

ORATIO.

O Commune, & vnicum omnium
peccatorum asylum, dulcis Ma-
ria, Mater diuinæ gratiæ, Mater miseri-
cordiæ. En hostis calcaneo meo insi-
diatur; fodior conscientiæ stimulis;
minas iusti Iudicis expauesco: angustiæ
mihi sunt vndique. Quid ergo mihi
spei reliquum, nisi tu, vita, dulcedo,
& spes vnika miserorum. Scio Domi-
na, te ex natiuo amore, tuos fouere, ac
protegere, sicut gallina congregat, pul-
los suos. audio etiam te suauissime con-
uocare errantes pullos; transite ad
me omnes, qui concupiscitis me, & à
generationibus meis implemini, & Ec-
ce prompte accurro, dulcis Mater, ra-
paces imminentis Milui vngues formi-
dans: Ah ponde alas miserationum tua-
rum, & me sub tuum præsidium con-
fugientem suscipe. Sufficit an imæ meæ,
si in numerum filiorum tuorum me

B 5

admit-

a Eccli. 24.

admittas, ex quibus nemo vñquam
perijt, nisi propria malitia. Ergo ani-
mos sumo, in dulcissimæ Matris gre-
mum irrepo, Quis mihi tribuat, vt
more discipuli illius, qui supra pectus
Domini in cœna recubuit, ego quoque
in sinu Matris omnium gratiarum, sua-
uiter conquiescam? Noui beatissima
illa viscera, quæ portauerunt æterni Pa-
tris filium: fragrant adhuc dulci amore
nostræ. Ah vulnera cor meum in uno o-
culorum tuorum: illos tuos misericor-
des oculos ad me conuerte.

Quid mirum si digno, & bene merito
id præstes? Si autem mihi indignissimo,
eo magis crescet, & inclarescit gloria, &
misericordia tua. Pande viscera miseri-
cordiæ tuæ, dulcissimo filio tuo me
commenda, & reconcilia. Et tu miseri-
cordissime Redemptor meus, me mento
vltimi testamenti tui, in ara S. Crucis,
quando dulcissimæ Matri tuæ com-
mendasti discipulum, quem diligebas,
dicens, Ecce filius tuus: Commenda et-
iam,

iam me miserrimum peccatorem simili-
bus verbis Matri tuae, vt me in filium
fusciptat. Mihi quoque dictum putabo,
Ecce Mater tua. Amplexor ergo totis
brachijs, hoc sacrum pignus, & in mea
accipio, paratus ei seruire omnibus die-
bus vitae meae. Hac irre fiducia exultat
spiritus meus, & psallit tibi;

Quis mihi terapiet? nemo. quis me tibi?
nemo.

Filius ergo tibi, tu mihi Mater eris?

S. VIRGO VIRGINVM.

Q Vandoquidem SS. Patres de Vir-
ginitate integros libellos, & tra-
ctatus scripserunt, frustra teme-
rarius calamus aliquid addere tentabit.
Sufficiet pauca ad propositum nostrum
afferre, de laudatissimo hoc hominum
statu, quem S. Cyprianus, a illustrio-
rem portionem gregis Christi, nomi-
nat, & Dei imaginem respondentem

B 6 sancti-

a De habitu Virginum.

sanctimoniaz Dei. Ita etiam loquitur D. Basilius: a Magnum quid, vt vere dicam, est Virginitas, ait, incorruptibili Deo, vt ita dicam, similem faciens.

Quod vero mirum est, etiam apud Ethnicos, Virgines, maxime Vestales, summo in honore habitæ sunt. Processerunt pari pompa, vt Consules Romani: Et Imperatores cum triumpharent, cesserunt Virginis Vestali, si quando obuiam forte habuissent.

Magnam habet hic status promissionem in cœlis. b Vedit Ioannes centum quadraginta quatuor millia, Agnum sequentes in gloria, quocunque ibat. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coquinati: Virgines enim sunt. Vox earum audita tanquam citharædorum, citharizantium in citharis suis. Partim propter concordantiam Virtutum illarum Virginum, ex Virginitatis pudore gratissimam: partim propter disten-

a Lib. de vera Virginitate.

b Apoc. c. 14.

distensionem, ac pulsū, quæ mortificationem carnis denotant. Ita ex Beda,
Gregorius in Moralibus c. 31.

Quin & Martyrum in cœlis lau-
reolam habet Virginitas. Quia, ut ait S.
Augustinus, *a inter omnia Christianorum*
certamina, sola clariora sunt prælia Castita-
tis, vbi quotidiana est pugna, & rara victo-
ria. Et S. Ambrosius. b. Non ideo, inquit,
laudabilis Virginitas est, quia in Martyribus
reperitur, sed quia ipsa Martyres facit. ha-
bet enim & pudicitia seruata suum Marty-
xium, inquit S. Hieronymus ad Deme-
triadem.

Cassianus Angelis Virgines com-
parat. Nulla, inquit, *c* virtute tam proprie
carnales homines spiritualibus Angelis ad
imitationem conuersationis æquantur, quam
merito & gratia castitatis, per quam adhuc
in terra degentes, habent secundum Apo-
stolum, d. municipatum in cœlis, quod depo-

B 7 sita

a Serm. 250.

b Lib. de Virgin.

c Lib. 6. c. 6. d Philip. 3.

sita corruptela carnali, a habituros promittuntur in futurum, hic iam in carne fragili possidentes. S. Hieron. ipsis Angelis preferre videtur: b Maior, inquit, est Victoria Virginum, quam Angelorum: Angeli enim sine carne vivunt, Virgines vero in carne triumphant. Quod clarius expressit Petrus Chrysol. Angelis; c inquit, semper cognata Virginitas est. In carne praeter carnem vivere, non terrena vita est, sed coelestis: Et si vultis scire, Angelicam gloriam acquirere; maius est, quam habere. Esse Angelum felicitatis est, Virginem esse, virtutis. Virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus natura. Angelus enim, & Virgo, diuinum agunt officium, non humanum.

Merito autem Ecclesia Mariam, Virginem Virginum appellat, cui in toto choro Virginum par non sit, & ut Sedulius canit, Nec primam similem visa est, nech habere sequentem.

Primo

a Mach, 22.

b Super 1. Cor. 7.

c Serm. 134.

1.

Primo enim ab originali macula, in ipsa conceptione præseruata fuit, quæ prærogatiua alias nulli hominum ex humano semine procreato, concessa est.

2.

Secundo fomes peccati in ea extintus, vnde nec vlla cogitatione illicita inquinari potuit, nec ullo prauo carnis motu.

3.

Tertio, Gratia Dei plena fuit, & Dominus cum illa, tanquam cum electa, & præelecta Dei Sponsa.

4.

Quarto, quia prima inter filias Eux voto castitatis Deo se obstrinxit, quod antea inusitatum, & inauditum erat. Vnde quidam doctissimi viri audent asserere cum S. Bernhardino Senensi, Beatam Virginem, a ex singulari Priuilegio, habuisse in ytero plenum ratio-

a Suarez Barad.

rationis usum ; & dicunt eam statim post conceptionem , & primam suam sanctificationem , habuisse propositum Virginitatis.

Et hoc nomine etiam non caruit merito singularia quia S. Thomas & alij Doctores docent , b quamuis Deipara pugnare non habuerit , per tentationem carnis , propter ablatum fomentum & perfectam sanctificationem ; c habuisse tamen pugnam , quae est ab hoste , qui nec etiam ipsum Christum est reueritus.

Hinc S. Bernardus ait : d Quae vel Angelica puritas Virgini illi audeat comparari , quae digna fuit Spiritus Sancti sacrarium fieri , & habitaculum filij Dei ? Si rerum pretia de raritate pensamus , quae prima in terris Angelicam proposuit ducere vitam , super omnes est . Et ideo merito Virgo Virginum appellatur.

Quin-

a In 4. dist. 49. q. 5. a. 3. b Suar. tom. 2. ix.
3. part. disp. 21. Sect. 4. c Matth. 4.

d Serm. 4. de Assumpt.

5.

Quinto, omnium virtutum exemplar fuit, morum honestate; etiam ex vultu virtutes elucebant, & specie ac decore adeo fulgebat, ut S. Dionysius Areopagita illam tanquam Deam coluisse, si lumine fidei nondum præditus fuisset.

6.

Sexto, Virgo in Matrimonio mansit,
cum Iosepho.

7.

Septimo, Quod plus est, Virgo etiam in partu mansit, quod ab omni sæculo inauditum est. Id Sedulius pulchrè expressit; Et Ecclesia ex ipso canit,

Gaudia matris habens, cum Virginitatis honore,

Nec primam similem visa est, nec
habere sequentem.

a Lib. 2. carm.

PIÆ



PIÆ CONSIDERATIO-
N E S.

In gratiam partim Virginum utriusq;
sexus, qui Virginitatis florem nun-
quam amiserunt; partim eorum qui
etiam post amissam Virginitatis laureo-
lam, continentiae & castitatis amantes
sunt, spiritualia quædam subsidia hic
subiungam.

I.

Virgo, inquit Apostolus, & cogitat
quæ Domini sunt, vt sit sancta corpo-
re, & spiritu. Nam Virgo carne, non
mente, nullum præmium habet in re-
promissione, inquit S. Isidorus. b Ergo
Virgo non diuisa esse debet, vt Mundo
quoque placeat, sed tantum vt Deo,
tanquam Sponso suo placeat, ideo etiam
spiritu debet esse sancta, & carere desi-
derijs terrenis.

Solici-

a I. Cor. 7.

b De summo bono lib. 2.

2.

Solicitudo hæc , parit timorem,
& cautelam , vt thesaurum hunc custo-
diat : hinc omnia tuta timet. *Trepidare*
Virginum est , inquit S. Ambrosius , a *ad*
omnes viri ingressus pauere , omnes viri affa-
tus vereri.

3.

Ex hoc timore nascitur verecundia,
quæ est pudicitiæ comes , imo soror se-
cundum Bernhardum , cuius societate
castitas ipfa tutior est. hæc non solum in
factis , sed etiam in ipsis spectatur ser-
monibus, inquit S. Ambrosius , b specu-
lum mentis plerumque ait, in verbis re-
fulget. Hinc Diogenes ad verecundan-
tem iuuenem dixit; *Confide adolescens,*
hic color virtutis est.

4.

Necessaria autem est custodia sen-
suum , ne quid indecens irrepat. Omni
custodia custodi cor tuum , sepi aures
tuas

a *Super Luc. c. I.*

b *De offic. l. I. c. 19.*

tuas spinas. *a* Fac pactum cum oculis tuis, sicut Job; *b* ut nec cogitent quidem de Virgine. Mors intrat per fenestras: fenestræ cordis tui, oculi tui sunt. Et, si nescis, oculi sunt in amore duces. *c* Id Dauid in solario: duo senes in pomario Susannæ, & alij in numeri experti sunt. Vedit Eua, *d* quod bonum esset signum ad vescendum, & pulchrum oculis, & tulit hinc omne malum. Accipitri operiuntur oculi: *e* alioqui cicurari non possit, & nunquam quietus federet, præter uolante præda.

5.

Virginem honestus labor decet, & mens bene occupata. Otia si tollas, periere Cupidinis arcus. Otium puluinar diaboli est. Nostri Samsonem in sinu Dalilæ dormientem, fortitudine sua priuatum, & Philistæis suis hostibus traditum.

a Proverb. 4.

b Job. 31.

c Propert. *d* Gen. 3.

e Simile.

ditum. *a* Inter vitia Sodomæ, numeratur otium Sodomæ, & filiarum eius S. Bernhardus *b* otium appellat sentinam omnium tentationum & malarum cogitationum. Nil agendo, male agere disimus, dicebat sapiens Cato.

6.

Porro ad conseruandam pudicitiam, necessaria quoque est, occasionum fuga. nam qui tangit picem inquinatur ab ea. *c* Abstrahendus fomes à carbonibus, ubi flamina timetur.

Est mulier viscus tactu, visu Basiliscus. Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeant? *d* aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? Non est omnis rubi, ardere, & non comburi. *e* Ideo S. Augustinus fœminas etiam sanguine iunctas, in

do-

a Ezech.16. *b* Ad Fratres de Monte Dei.

c Prou.13.

d Prou.6.

e Exod.3.

domum suam non admisit, partim propter scandalum, partim etiam propter alia pericula. Et S. Vrsinus Presbyter, in extremis, pene animam efflans, dum sentiret mulierem ei vicinorem, Abscede, inquit, *a* quia adhuc igniculus in me viuit, paleam tolle. Ac si dicere voluisset, hominem in pudicitia securum non esse, quam diu spirat.

Modum autem perfecte fugiendi, insinuat S. Ambrosius. *b* Fugiamus, inquit, carnis voluptatem, tanquam sequentem, quæ non post nos, sed in nobis sequitur. Nos metipso ergo diligenter probemus, ne dum illa fugimus, nobiscum eam portemus. Volumus enim plerumque fugere, sed si non penitus excutimus animo, tollimus eam magis, quam relinquimus.

Ille quidem dixit, *c* Ecce elongauit fugiens, & mansi in solitudine, sed nec in solitudine sola securitas, animus spiritualibus armis munitus esse debet, & cum

a Greg. l. 4. Dialog. c. II.

b De pœnit. lib. I. c. 14. *c* Psal. 54.

cum Deo vnitus. In Eremo Mundum
vicisti, quia deseruisti, sed nondum car-
nem, nondum Diabolum. S. Hierony-
mus nec in Eremo à temptationibus se-
curus fuit.

Miratus s̄epe sum, quosdam Eremi-
colas, vt in vitis SS. Patrum legimus, ni-
mium securos, & sibi nimis fidentes,
cum ciuitates visitassent, tam facile in
fornicationem lapsos. Nondum scili-
cet carnem plene domuerant, nondum
diabolum omnino vicerant. Scipios ad-
huc secum tulerunt, nondum plene
mortificatos, nondum sibi mortuos.

7.

Præterea omnibus modis curiosi-
tas mortificanda est. Curiosa Dina sta-
tim rapta, & violata est. *a* Curiosa vir-
go, raro Virgo, aut non diu; periculo
proxima est. Qui amat periculum, per-
ibit in illo. *b* Idem accidet ei, qui peri-
culum non cauet, dum potest. In hoc
genere

a Gen. 34.

b Eccli. 3.

genere illud Plauti mihi occurrit:

**Qui cauet, etiam dum cauet, vix
satis cautus est.**

8.

Tandem omnibus consideratis, pugnandum est cum callido hoste, qui experientiam habet à condito orbe. Violenti rapiunt regnum Dei. & nemo coronabitur, nisi qui legitime certauerit. In Eremo, & extra cum hoc hoste magno animo congregendum. hostis astutus, caro potens, pugna perpetua. felix qui Heroicis actibus hostem aggreditur. *a* Sic Niceta in molli lecto, sericis vinculis ligatus, & ab impura muliere varie illectus, linguam suam mordicus abscissam, in faciem mere triculæ exspuit. S. Benedictus tempore tentationis, nudum se in vrticas & vpres coniecit. *b* S. Bernhardus in lacu præfrigido petulantiam carnis domuit. S. Franciscus in niue, rigida hyeme,

VXO-

a Niceph.lib.7.c.13.*b* Greg.l.2.dial.c.5.

vxorem, & liberos sibi formans, æstuantem sanguinem gelare fecit. flagello item carnem lacerans, frater asine, ait, sic te tractare oportet. Quidam in prunas se coniecerunt; Alij manus combusserunt, & pedes. Alius facco arena pleno, humeros supra vires grauans, vexo, inquit, vexantem me: Alij calcitranti asino, pabulum subtrahentes, incidia pene contabuerunt, iuxta illud:

Luxuriat raro, non benè pasta
caro.

S. Hieronymus, oculatus testis, narrat de quodam prudente Sene, qui iuuenem quendam, carnis stimulo tentatum, opprobrijs, & iniurijs, per se, & alios tam diu exercuit, & vexauit, ut tandem interrogatus an adhuc caro pruriret, responderit, viuere metadet, fornicari ne libeat?

Gregor. Nazianz. in carmine, quo deplorat suam calamitatem: *Ventri, inquit, claustra impono, animum mærore conficio, lacrymarumque vim profundo, ac sor-*

C

ditatus

*ditatus incedo &c. pro lecto mihi humus est,
pro linteis cilicum, & paumentum lacry-
mu perfusum.*

Hæ quidem admiranda sunt, sed
sæpe imitanda. Qui neiminem finit
tentari ultra id, quod potest, exspectat
tamen, ut resistat, & pugnet homo,
quantum potest. Potest autem omnia
in eo, qui ipsum confortat. Lapsus ca-
uendus, quocunque tandem conatu.
Tolle discretionem & non erit Virtus,
inquit S.Bernardus; hæc apud Patres
spirituales quærenda; hi suis consilijs
modum statuent.

9.

Denique his omnibus iungenda
est Oratio, quæ singulare robur à Deo
imperat: Sciuī quoniam aliter non pos-
sum esse continens, nisi Deus det; a& id-
circo ad ij Deum, & deprecatus sum il-
lum. Ita etiam S. Augustinus, b conti-
nentiam iubes Domine, da quod iubes,
& iube quod vis.

Com-

a Sap. 8. b Lib. 8. Confess.

Compendium horum omnium faciam exemplo non Virginis, sed viduæ, de qua ita legimus. *a Iudith in superioribus domus suæ, fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium: jejunabat omnibus diebus vita sua, præter Sabbatham, & Neomenias, & festa Domus Israhel.* Ecce fugam, ecce otij detestationem, bonam societatem, laborem, orationem, iejunium, carnis macerationem.

Hæc in gratiam Virginum, & amantium castitatem, ut sciant magna cum sollicitudine suum thesaurum custodire, quem portant in yasis fictilibus. Notum illud Poetæ;

----- Nulla reparabilis arte,
Læsa pudicitia est, deperit illa semel.

Deus Virginem corruptam, suscitare non potest integrum pœnam remittere potest, aureolam autem non impo-

C 2 nere.

a Iudith. 8. b Lib. de Virg. c. 27.

nere. Concludo cum S. Augustino. Gaūdia propria Virginis Christi , non sunt eadem non Virginum , quamuis Christi: nam sunt alijs alia , sed nullis talia. Quid est eum sequi , nisi imitari. Sequantur etiam agnum cæteri fideles , qui Virginitatem corporis amiserunt , non quocunque ille ierit , sed quocunque ipsi potuerint : possunt autem ubique , præterquam ubi in decore Virginitatis insedit.

ORATIO.

O Electa , & præelecta Virgo Virginum , cuius puritatem etiam Angeli stupent ; quæ omnes Virgines in cælesti curia cum citharis suis Agnum sequentes , longissime præcedis: O Virgo fidelis , quæ neminem spernis , & omnes ad te suspirantes , adiuuas: Virgo clemens , admitte anhelantem , desiderio , & pio voto sequentem , non passibus æquis : Virgo potens , non miraculum peto , vt lumbos meos constrin-

gas,

S. VIRGO VIRGINVM. 41

gas , & omnem prauum carnis motum,
à me perpetuo auferas (quod non pau-
cis præstitisti) sufficit mihi gratia tua, ad-
iuua infirmitatem meam , paratus sum
pugnare, tantum labantem erige, gratia
& patrocinio tuo à lapsu serua ; cogita-
tiones purifica ; vt tibi , tuoque dulcissi-
mo filio, casto corpore seruiam , & mun-
do corde placeam. Quid mihi cum pu-
tri carne & sanguine ? libet Angelicam
puritatem imitari ; Tu ô Virgo purissi-
ma, Virgo veneranda. Virgo prædican-
da vires suffice , vt olim cum prudenti-
bus Virginibus vigil , & ardente, lampa-
de, sponsum deducere. Agnum inquam
immaculatum cum cantico quoque , &
cithara mea sequi , eumque in omnem
æternitatem laudare, ipsoque perpetuo
frui merear. Quæ in Cælis corona-
ta triumphas in omnem æ-
ternitatem. Amen.

C 3

S P E

SPECVLVM IV- STITIÆ.

SPECVLVM SINE MACVLA.

Candor est lucis æternæ & speculum sine macula, a Dei Maiestatis, & imago bonitatis illius.

De æterna sapientia, de filio Dei, hoc Salomon dixit; & in hoc filio cognoscitur Pater, secundum omnia eius attributa. Vnde & ipse Christus Dominus, Philippe, inquit, qui videt me, videt & patrem meum. b Et pater cœlestis ait, e Hic est filius meus, in quo mihi bene complacui. Quid mirum? quia in eo se ipsum videt.

Omnes quoque creaturæ sunt speculum; d Inuisibilia enim Dei per ea, quæ facta sunt, intelle-

a Sap.7.

b Ioan.14. c Matth.17.

d Rom.1.

intellecta conspicuntur, sempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas.

Sic omnis homo speculum est, *a* in quo apparet imago, & similitudo Dei Peculiariter autem Iustus *b* est speculum, in quo resplendet ille candor virtutum.

Sacra quoque Scriptura est speculum, *c* in quo Dei bonitas, potentia, iustitia, amor nostri, & varia alia cernuntur. Lex Dei immaculata, conuertens animas &c. *d* Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Multa hic cognoscimus de Deo, & nobis ipsis, quomodo respondeamus voluntati Dei.

Optatissimum autem speculum Sanctorum, *e* est ipse Deus. hæc est enim vita æterna, ut cognoscant te Deum. & quem misisti Iesum Christum, in quem desiderant etiam Angeli prospicere. *f*

C 4

Pecu-

a Homo. *b* Iustus.

c S. Scriptura.

d Psal. 18.

e Deus. *f* 1. Pet. 1.

I.

Peculiari autem ratione Beatissima Virgo est Speculum sine macula, ab ipsa conceptione, neque ullam vel minimam tota vita sua contraxit. Crystallina, benedicta sua anima, frustra fulsiſſet virginitate, nisi in humilitate ita fundata fuſſet. Vitrum enim, ut speculi vim habeat, in tergo plumbum, vel aliud obſcurum habeat necesse est. De hoc ita Hugo Cardinalis: *O Virginitas; & Humilitas, quomodo in vnum conuenistis? quid fecistis? sic sublimastis humilem, sic fœcundastis Virginem, ut Virgo, Dei pariat filium, & humiliſſet Sponsum Deum.*

2.

In hoc speculo, quis Æterni solis radios, quibus illustratur, acie mentis sustineat? mysterium incarnationis, immensum Dei amorem erga genus humanum, prærogatiwas huius electæ, & præelectæ animæ quis comprehendat? sed memini mihi olim eclipsin solis, artificio, & compendio quodam ostensam.

Itensam. Speculum in vrnam aquæ inij-
citur , dum aqua immobilis stat , fert
acies nostra radios solis. Quem Apo-
stoli in monte Thabor transfiguratum
intueri non potuerunt , cum facies eius
esset sicut Sol, in aquis tribulationum,
in persecutionibus coronatum , flagel-
latum, crucifixum , si non siccis, saltem
vtcunque fixis oculis aspicere potue-
runt. VERBUM CARO FACTVM , quis
in hoc speculo , in vtero inquam Vir-
ginis pro dignitate comprehendat?
Quæ acies mentis ad Spiritus Sancti ex-
traordinarias gratias , & prærogatiwas
non hebescat? Dum autem à Deo hæc
Virgo exercetur per paupertatem , per
exilium in Ægypto, dum gladij doloris,
in persecutionibus dilectissimi filij , cor
eius transeunt , hominem, non Deam
cernimus , miris interim Virtutum ra-
dijs fulgentem.

30

Hoc speculum non tantum recreat
splendore suo , sed radijs gratiæ & mi-

C 5 sericor-

fericordiæ deuota sibi corda inflammat ; vt amore rerum cœlestium flagrant, solidis Virtutibus studeant, sæpe etiam vitæ rationem & statum mutent, spretisque Mundi illecebris, omnino se Deo deuouant.

4.

Magnum speculum omnia in maiori formâ repræsentat: Quia ergo huic Virgini fecit magna qui potens est, hinc omnes eius Virtutes in maiori perfectione cluent.

5.

Radij solis communiter in speculo operantur , sine vlla eius læsione. Sic Ecclesia in Natiuitate Christi canit;

Vt vitrum non læditur , sole penetrante,

Sic illæsa creditur , Virgo post, & ante.

Quām similitudinem fusius tractat S. Augustinus , sermone de Natiuitate Christi.

Quid.

6.

Quid mirum Deum Patrem dixisse de filio suo , hic est filius meus dilectus , in quo mihi bene complacui , & ipsum audite: ac si in speculo transfiguratum vidisset sibi per omnia similem , quia est splendor eius , & figura substantiae illius.^b

Pium est credere , quoties Deus hanc Virginem intuetur , tot gratijs extraordinarijs ab ipso dotatam , & à Spiritu sancto dignum Filij sui habitaculum præparatum , dicere omnibus Christianis , hæc est filia mea dilecta , in qua mihi bene complacui ; ipsam amate , colite , invocate .

7.

Possunt specula diuersa ita artificiole disponi , vt sibi mutuo species representatas communicent , atque ita vt multa arcana videantur , quæ etiam vtcunque remota sunt . Ecce speculum , de quo hic loquimur animam .

C 6

Ma-

a Matth. 17. b Hebr. 1.

Mariæ, gratia plenam: Ecce aliud speculum, Saluatorem in præsepio, in gremio Matris, vt se mutuo intueantur? quam potenter radijs cœlestis amoris se mutuo laceſſunt? vt inerito hæc Sponsa dicere possit, *a* Dilectus meus mihi, & ego illi. *b* Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.

a Cant.2. *b* Cant.7.

PIÆ CONSIDERATIO- N E S.

I.

VSus speculorum duplex est. Vnus recreationis cauſa, vt videamus quæ etiam retro nos ſunt, & omnia quæ in aliquo loco fiunt, vel quæ etiam longe diſtant, in quo genere multa artificioſe fiunt, & cum admiratione repræſentantur. Alter uſus eſt in commodum noſtrum, vt faciem, & mores noſtros inspiciamus. Priori modo utiliter nos in Domino recreamus, ſi virtutes,

rutes, doctrinam & exempla Christi, & Sanctorum intueamur: Nam pulchre admodum opera Dei, bonitas, sapientia, iustitia cum misericordia temperata, & similes cœlestes diuitiæ ex eis relucent.

Altero modo recte hæc inspicimus eo fine, ut videamus, quomodo nos constituti simus in anima nostra, comparando nos legi Dei. Proh quam nos nostri pudet, si maculas conscientiæ, & deformitatem nostram agnoscimus. Valde ergo cauendum ne hoc speculo non inspecto in publicum prodeamus. Decipit enim nos Dæmon, & Mundus, & fucum nobis faciunt. Lepidum, & verissimum exemplum de illo, quem vafferrimi congerrones deceperunt, dum in Bacchanalibus faciem suam varijs coloribus depingi curaret, vt omnibus incognitus, ridiculis gestibus homines deludere posset. Instruxerunt etim pictorem, vt penicillum in aquam tantum intingeret, nullo colore adhibito, vt fa-

50 LITAN. LAURET.

cile ab omnibus , sicut prius , agnoscere posset. Post multas autem stultitias commissas, speculum ei exhibitum est, in quo cum solitam faciem vidisset, & se deceptum animaduertisset , omnem hominum conspectum aliquandiu fugit. Ita Dæmon nos quandoque decipit, animæ nostræ maculas nos cælat; mentitur nos pulchros esse, iustos coram Deo, peccata quædam fat grandia , nobis vel leuia, vel nulla esse , callide persuadet; donec speculum Examinis conscientiæ adhibeamus, ad amissim Legis Dei, S. Scripturę, & Sanctorum exempla. Proh quam nos tunc aliquando nostri pudet ? & quem fructum inde habemus , de quibus tunc erubescimus? a.

Mysterio non caret , quod Moyses specula mulierum labro æneo affixerit. b Missa aqua , ait Dominus , lauabunt in ea Aaron, & filii eius manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt Tabernaculum Testimonij, & quan-

a Rom. 6.

b Exod. 38. Item 30.

SPECVLVM IVSTITIÆ. 1

& quando accessuri sunt ad Altare. Atque ideo propter faciem specula intuebantur. Quid nos Christiani, qui longe maiora sacra tractamus, in usurpatione maxime Sacramentorum? An nō speculo, & expiatione conscientiæ magis indigemus, cum ad sancta nostra intramus? Etiam Socrates Ethnicus, discipulis suis suasit, ut sæpe speculum intueantur; & si se speciosos animaduertant, caueant, ne quid indecorum agant: Si autem vitium, & defectum corporis deprehendant, Virtute, quę omnem corporis defectum supplet, compensare conentur.

2.

Specula bene polita, minimo anheli-
tu, quasi nebula quadam obscurantur.
Delicata est Beatissima Virgo, minimo
culpabili & impuro afflatu offenditur.
Mulieres Menstruatæ, speculum solo a-
spectu inficere dicuntur. Peccata autem
nostra, sunt coram Deo eiusque purissi-
ma Matre, sicut pannus Menstruatæ.

Specu-

a Esai. 64.

3.

Speculum nihil repræsentat nobis,
nisi inspiciamus. Quid nobis profunt
perfectissimæ Virtutes, & prærogatiæ
B. Virginis nisi eas studiose contempe-
mur. Lectione, oratione, meditatione
peruenimus in cognitionem tantarum
Virtutum.

4.

Vt in speculo videas, quæ nosse cupis,
abesse debet omne velamen, quod spe-
culum tegit: ita tu caue, vt citra ullum
impedimentum, syncere. & pura mente,
tot Virtutum pulchritudinem huius
Virginis intueri magno cum solatio, &
fructu possis. Nosti autem propter quæ
faciem suam abscondat,

5.

Speculum, vt purum & mundum
conseruetur, debet munde tractari, &
sæpe abstergi. Tu omni studio cura, vt
conscientia tua, & cor tuum, sit ab om-
ni labe mundum, vt Deus velut in spe-
culo, suam imaginem, & similitudinem
illi-

illibatam cernere, & sibi in ea complacere possit. Extrémè dolendum, nos conscientiam nostram tam fœde aliquando deturpare, vt Deus eam intuens, loco imaginis suæ, superbum pauponem, inuidum canem, petulcum hircum, & lutulentum porcum potius videat.

6.

Speculum, etiam remota, & quæ à tergo sunt, repræsentat: Ita si diligenter conscientiam, & statum animæ nostræ contempleremus, S. Scripturam, Dei monita ante oculos habeamus, cerneamus illos annos æternos, Nouissima inquam nostra, quæ illam à Deo vim & benedictionem habent, vt vel sola eorum memoria à periculofo lapsu nos seruent, iuxta illud; In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

ORA-

a Eccli. 7.

ORATIO.

ONtidissimum Speculum omnium
Virtutum, & perfectionum homi-
nis Christiani, à Spiritu Sancto ita
tersum, & politum, in quo Deus sibi
complacet, tanquam in electa, & præ-
electa filia, & sponsa. Heu quam me
mei pudet, cum intueor te, ó Virgo pu-
rissima, tanquam pulcherrimarum
virtutum, numeris omnibus perfectis-
simum exemplar. Video quæ tu sis,
o pulcherrima Mulierum, a quia celsi-
tudinem tuam non satis assequor, ob-
stupesco: Video, quis ego sim, & expa-
uesco: Video qualis esse debeam, & e-
rubesco: Non video autem, quid de me
olim futurum sit, & contremisco. O
innocentia Virgo, quæ meas mihi ma-
culas ostendis, & ut abstergam horta-
ris, impetrabo mihi fontem lacrymarum,
quibus animæ meæ nauos emaculem:

Da,

a Cant. 5.

S P E C V L V M I V S T I T I A E 33

Da , vt te semper pura mente intuear,
nec vlo impuro afflatu conturbem. Ag-
noscam etiam , quæso , per te, quæ retro
sunt , hostem à tergo mihi insidiantem,
nouissima quoque alia, quæ me manent:
Delicta iuuentutis meæ , ignorantias,
occulta , & aliena mea peccata , mihi
monstra, & quidquid me denique latet,
quod cluendum esset. Vlro etiam pro
innato Matribus, in liberos affectu, iux-
ta viscera misericordiæ tuæ, maculas mi-
hi ignotas absterge. Ah quid in hoc iu-
stitiæ speculo non video ; quam poten-
ter radijs solis iustitiæ ardes ? vt aciem
mentis nostræ tuis excellentijs , & præ-
rogatiis præstringis? vt omnes te intu-
entes, cœlestium rerum amore inflam-
mas? Hæc sit portio mea, ô dulcis Virgo,
in regione viuentium , vt in æternum
videam te, & in primis, quem nobis ge-
nuisti, I E S V M Christum , tuum, & Dei
filium, cum quo secura viuis, & regnas,
in omnem æternitatem. Amen.

S E D E S

SEDES SAPIENTIAE:

Fecit Rex Salomon thronum de
ebore grandem ; & vestiuit eum
auro fulo nimis, qui habebat sex
gradus. & summitas throni rotunda erat in
parte posteriori; & duæ manus hinc atque in-
de tenentes sedile: & duo leones stabant iuxta
manus singulas. Et duodecim leunculi stantes
super sex gradus hinc atque inde : Non est
factum tale opus in vniuersis Reg-
nis.

Si pretium & artificium huius thro-
ni spectemus, res est quidem admiratio-
ne digna ; sed si rem significatam con-
sideremus, multo magis animos nostros
percellet.

Per Salomonem plurimis locis
Christus Dominus est præfiguratus,
propter pacem , diuitias , sapientiam,
magnificentiam , &c. Per hunc autem
thronum Ecclesia B. Virginem intelli-
git:

a 3. Reg. 10.

git: Ita enim canit: *Natiuitatem perpetuæ Virginis, genitricis Dei Mariæ, solenniter celebremus, qua celsitudo throni processit.* Summum scilicet fastigium throni Dei. vel thronus celsissimus, elegantissimus.

Glossa ordinaria, & peculiariter etiam Hugo Cardinalis, de B. Virgine, quoque hunc thronum interpretantur, in cuius gremio Christus sedet, tanquam in throno nobilissimo.

Perebur significari volunt puritatem Mariæ propter albedinem, & frigiditatem, quæ etiam motus libidinis in alijs refrigeret, item soliditatem & robur Spiritus. Addit Halgrinus, quia ebur os Elephantis est, qui perpetuam cum serpente iniicitiam gerit. ipsa conteret caput tuum. a

Duas manus sedile tenentes, extincionem fomitis interpretatur, & conceptionem Saluatoris. Petrus autem Damianus de vita Virginis Actiua, & contem-

a Gen. 3.

contemplatiua intelligit, ita vt nec actio contemplationem minueret , nec contemplatio defereret actionem.

Duo leones iuxta manus, significant duplicem fortitudinem Virginis , Fidei, quæ tempore Passionis Christi in ea sola mansit; & operis, quod omnia tam constanter operata sit. Manum suam misit ad fortia , & digitus eius appreenderunt fusum. Prou. vlt.

Duodecim Leunculos aliqui duodecim Apostolos ei assistentes intelligunt. Alij duodecim fructus Spiritus sancti. de quibus Galat. 5.

Per aurum purissimum plerique feruentissimam Virginis charitatem intelligunt.

Sex gradus, ferè sex singulares Virginis virtutes intelligunt, de quibus:

1. Oratio solitaria. a Ingressus Angelus ad eam. Bernhardus. Quo ingressus ? in secretum cubiculum, ubi orabat Patrem in abscondito.

2. Virgi-

a Luc. I.

SEDES SAPIENTIAE. 59

2. Virginalis verecundia. Turbata est
in sermone eius.

3. Discreta prudentia. Cogitabat qua-
lis esset ista salutatio.

4. Inquirentis diligentia. Quomo-
do fiet istud? quoniam virum non cognos-
co.

5. Humiliantis sc̄, decentia. Ecce
Ancilla.

6. Fidelis obedientia. Fiat mihi se-
cundum verbum tuum.

Antiquissimum huius elogij testimo-
nium videtur colligi posse ex Liturgia
S. Iacobi Apostoli (qui Virgini Mariæ
adhuc superst̄ti templum ædificauit in
Hispania prope Cæsaraugustam) cuius
Liturgiæ meminit S. Synodus vniuersa-
lis can. 32. Et de consecr. dist. 1. b

In hac ita loquitur Iacobus Aposto-
lus; Deus noster inquit, tuum yterum,
thrонum fecit. b

Sancti

a. Petr. Anton. Beuterus, in chron, Hisp. c. 23.

b. Io. de Pineda in Monarchia Ecclesiastica l.

10. c. 2. §. 4.

Sancti Patres varie quoque in huius throni commemoratione sese recreant.

Epiphan. *Deipara*, inquit, *a etiam cœlorum virtutes in stuporem conuertit: ob-*
stupuerunt omnes Angeli Cherubin ac Seraphin, & exhorrescebant, spectabant Virginem cœlum, & thronum, & formidabant,
dum conspicerent eum, qui principio caret, descendenter à throno Cherubico, in utero Virgineo sedere. Si cœlestes illi Spiritus ita mirantur hunc thronum, quid nos facere par erit?

S. Augustinus. *b Sola meruit Deum & hominem paritura suscipere, facta thronus Dei, & Aula Regis æterni.*

S. Bonaventura. *Mariæ*, inquit,
præparauerat Deus magnam gloriam in cœlo, vt sicut fuit grandis in merito, ita etiam grandijs esset in præmio: Vnde ista est thronus ille grandis de quo dicitur; Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem: Thronus vero

a Serm. de laudib. Deipara.

b Lib. de Assumpt. c In spec. c. 12.

SEDES SAPIENTIAE. 61

verò Salomonis est Maria, grandis omnino in
gratia, & in gloria.

Damascenus hanc Virginem etiam
solium Regium appellat. *a* Et sane me-
rito solium gloriæ Dei infra appellatur:
b quia sicut Regium solium sedentis ma-
gnificentiam, ac maiestatem repræsen-
tat; ita Deus in B. Virgine ostendit glo-
riam suam, & claritatem: Christus enim
est lux vera, quæ illuminat omnem ho-
minem venientem in hunc Mundum.
Ita Galatinus lib. 6. de arcana Cathol.
Christianitatis c. 18.

In hunc sensum loquitur etiam S.
Bonaventura. in specul. cap. 7. O vere
beatissimum, o vere stabilissimum so-
lium. hoc solium excelsum est, in intellectu,
eleuatum in affectu, excelsum quoque inter
homines, eleuatum super homines: excelsum
est gratia, eleuatum in gloria. In solio mentis
Marie Dominus sedet, & domus corporis Ma-
riæ plena erat Maiestate eius.

S. Bernhardinus Senensis, Thro-

D nus, in-

a Orat. de dormit. *b* Hier. 17.

nus, inquit. a filij Dei, Mater illius est, quæ in conspectu eius sicut Sol fulgens est, quantum ad gloriam animæ, & sicut Luna perfecta in æternum, b quantum ad gloriam corporis sine defectu (in Assumptione) Proinde gloriæ resurrectionis fidelis est testis.

S. Bonaventura In Ecclesiastico (c. 43.) dicitur Vas admirabile, opus Excelsi. c Vere opus mirabile, quia nusquam inuenitur simile: Vnde de hoc dicitur: non est factum tale opus in vniuersis Regnis; non in Regno cœlestium, nec terrestrium, nec inferorum.

Sicut sedes ornata, ac Regio more parata sedentis magnificentiam, ac maiestatem repræsentat: Ita Deus in B. Virgine ostendit suam gloriam, & claritatem.

PIÆ

a Tom. 3. Serm. II. a. 3. c. I.

b Psal. 88.

c In spec. c. 7.

PIÆ CONSIDERATIO-
N E S.

1.

IN varijs thronis Deus sedet. Cœlum Dei sedes est , terra scabellum pedum eius. Sedet super Cherubim. hic autem thronus , de quo hactenus egimus, thronus misericordiæ est. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ , vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in tempore opportuno. Hebr. 4. *Venite adoremus , & procidamus ante eum, exosculemur gradus, prosternamus nos, & clamemus, Salve Regina misericordiæ &c.*

2.

In quibusdain Regnis moris est,
vt etiam vacuis Regum , & Reginarum sedibus honor habeatur , & externa aliqua reuerentia adhibeatur. Ita decet nos vel ad ipsum nomen M A R I Æ exultare in corde nostro , & ad eam co-

D 2

lendam

lendam nos præparare. Quicquid eam repræsentat , aut dulcem eius memoriā refricat , nos in honore , & pretio habere decet, ut imagines eius , Rosaria , pios libellos de ea scriptos , Miraculorum monumenta , & his similia.

3.

Modum colendi hunc thronum pulchre describit. Noster Petrus Anto. Spinellus in compendio sui throni , & Praxi deuotionis erga B. Virginem. Ponit autem hos sex gradus , quibus quasi ascen- ditur piè ac reuerenter ad hunc thronum: Amore scilicet huius Virginis, Reuerentia congratulatione, fiducia, Vir- tutum imitatione , obsequijs , quæ ipse prolixe in illo libello explicat.

4.

Quævis anima iusti etiam est sedes Dei , libenter eam Deus inhabitat , si ri- tè ornata , & præparata sit. a. Præbe fili mi cor tuum mihi. ipse ambit , & desi- derat hanc sedem. Modum autem præ- parandi

a Pro. 23. b Ioan. 14.

parandi & ornandi hunc cordis thronum Sponsus ipse clare , & diserte explicat : *a Si quis diligit me sermonem meum seruabit , & Pater meus diligit eum , & ad eum veniemus , & mansionem apud eum faciemus.* Paulò autem ante explicatur signum dilectionis his verbis : *Qui habet mandata mea , & seruat ea , ille est , qui diligit me.* Sunt ergo inseparabilia , diligere , & mandata Dei seruare , & vnum causat alterum.

5,

Ædificemus ergo similem thronum in corde nostro. Erigamus sex gradus , quos Deus libenter scandit. Gradus scilicet humilitatis , subdere se maiori , pari , minori , humiliter de se loqui , & sentire , optare ut alij etiam ita sentiant . Vel si lubet , alios præparare gradus licet , Deo similiter gratos . Timorem Dei , Humilitatem , Vitæ candorem & innocentiam , Obedientiam , Patientiam , Perseuerantiam . Vel sex opera miseri-

D 3

cordiæ

a Ioan. 14.

cordiæ exercendo. de his beneplacitum suum aperte Deus explicat: *Hæc est requies mea, reficite lassum, hoc est refrigerium meum.* a

6.

Operiamus totam structuram auro purissimo, id est, flagranti igne charitatis, quæ omnia nostra coram Deo pretiosa, & splendida reddit.

7.

Stent in gradibus cordis nostri Leunculi magnanimi, qui hostem non metuant, sed fortiter aggrediantur. Sint vigilis; proprium enim leonum est, aperitis oculis dormire. Ita Sponsa de se loquitur. *Ego dormio, & cor meum vigilat,* b.

ORA-

a *Esa. 28.*

ii

b *Cant. 5.*

ORATIO.

OSolum gloriæ Dei , dignum Filij
Dei habitaculum , Spiritu Sancto
cooperante præparatum, ecce hu-
millimè adrepo , ad thronum gratiæ &
misericordiæ ; colo , adoro magnificen-
tissimam illam sedem Sapientiæ , quale
opus non est factum in vniuersis Re-
gnis. O dulcissima Virgo , & Mater
Mariae , quæ exultans in Spiritu, iure
gloriaris: Qui creauit me, requieuit in
tabernaculo meo ; gratulor ex animo
tibi , & mihi , & vniuerso orbi, de tanto
honore , & gloria, tibi, tanquam electæ
ex millibus, cœlitus collata. Ante hunc
thronum cum viginti quatuor Senio-
ribus illis humillime procido , veniam
& gratiam imploro, quia tu vere es au-
xilium Christianorum , & refugium
peccatorum. Deus ille misericordia-
rum, & Deus totius cōfolationis, quem
Terra, Pontus , Æthera, colunt , ado-

D 4. rant,

rant, prædicant, qui non venit vt iudicet Mundum, sed vt Mundus saluetur per ipsum, de cuius infinita bonitate adhuc fragrant materna tua viscera, & dulcem amorem, erga omnes tui amantes, spirant. Curro ergo in odorem vnguentorum tuorum. O Mater misericordiæ, & pulchræ dilectionis; cum duodecim illis leunculis me immiscebo, & ad gradus huius throni vigilabo; Tu robur animi præsta, vt constanter tibi serviam, & auro flagrantissimæ charitatis tibi affixus in omnem æternitatem à te non separer. Quæ in cœlis coronata triphas &c.

VAS SPIRIT VALE.

VAS HONORABILE.

VAS INSIGNE DEVOTIONIS.

ET si nulla explicatione hi tituli honoris indigeant, non erit tamen extra propositum, vnum vel alterum.

rum locum ex SS. Patribus afferre, vbi
ipsi de Beatissima Virgine simili loquen-
di modo vtuntur.

Omnis homines vnius figuli va-
sa sumus, sed vnum pulchrius, & nobi-
lius altero. *a* S. Bernhardinus Senensis,
de idea, in mente cœlestis figuli, con-
cepta, ita scribit. *b* Tu virgo, inquit, ante
omnem creaturam in mente Dei prædestina-
ta fuisti, vt omnium fœminarum castissima,
vt Deum ipsum, hominem verum, ex tua
carne procreares, vt præ omnibus post fi-
lium, Regina cœlorum effecta gloria regna-
res.

Hinc S. Cyprianus, *c* propter in-
signem huius Virginis præelectionem
per excellentiam eam Vas electionis
appellat. Et S. Bonaventura: Opus Dei,
inquit, mirabile est, Maria, de quo di-
citur in Ecclesiastico, *d* Vas admirabile,
opus excelsi. Vere opus mirabile, quia nus-
quam inuenitur simile: Vnde de hoc dicitur,

D 5

non

a Hier. 18. *b* Tom. 2. Con. 51. a. 3. c. 4.

c Serm. de Christi Natiuit. *d* Eccli. 43.

non est factum tale opus in vniuersis Regnis;
 a non in Regno cœlestium , nec terrestrium,
 nec infernorum : hoc enim opus plenum est
 Dominica gloria , quia super omnem puram
 creaturam resultat, & relucet plenissime in
 Maria.

Ecce quale Vas electionis , in quo
 sibi Deus complacuit : Et licet multa
 magna facta sint in Creaturis Mundi , in-
 quid Petrus Damianus, b' nihil tamen tam
 excellens , tam magnificum fecerunt opera
 digitorum Dei. in hoc enim opere exer-
 cuit Deus suam potentiam. Adeo sibi
 complacuit Deus in hoc vase Electio-
 nis , vt S. Anselmus dixerit, c' nullum
 hominum , vel Angelorum penetrare
 posse immensitatem Diuini amoris er-
 ga Virginem. Quid amplius dicere pos-
 sum , inquit , d O domina, immensitatem
 quippe gratiae, & glorie , & felicitatis tuae
 considerare incipienti , & sensus deficit , &
 lingua:

a 3. Reg. 10

b Serm. de Natiu. Virg.

c De excellent. B. V. c. 3. d c. 8.

R O S A M Y S T I C A .

71

lingua fatiscit. Imò S. Bernhardinus dicit, a tantam esse perfectionem Virginis, ut soli Deo cognoscenda reserueretur.

a Ser. 51. T. 2.

R O S A M Y S T I C A .

I.

ROsa, florum Regina, elegantia sua omnium oculos pascit, suaue fragrat, & varie medetur.

Idem nobilissimo modo præstat Beataissima Virgo. Albas & rubras communiter reperire est rosas. *Dilectus meus, inquit illa, candidus, & rubicundus.* *Quin & ipsa Sponsa.* b

Pulchritudo Virginis nostræ apparet in candore immaculatæ Conceptio-
nis, perpetuæ Virginitatis, & virtutum omnium pulchritudine. Pulchra
vt speculum; Pulchra vt luna; Pulchra
& electa, vt Sol: Summa, tota pulchra

D 6

es a-

a Cant. 5,

es amica mea, & macula non est in te.^a

- Heu quam sorbet respectu huius antiqua Virgo, de qua Sedulius canit;

Et velut in Spinis, mollis rosa, surgit acutis,

Nil quod lædat habet, matremque obscurat honore:

Sic Euæ de stirpe, sacra veniente

MARIA,

Virginis antiquæ facinus, noua Virgo piauit.^b

Hoc elegantissime explicat S. Bernhardus : Eua, inquit, c Spina fuit, Maria, Rosa extitit. Eua Spina vulnerando ; Maria Rosa, omnium affectus mulcendo. Eua Spina, infigens omnibus mortem ; Maria Rosa, redens salutem. Maria Rosa fuit candida, per Virginitatem ; rubicunda per charitatem ; Candida, Virtutem sectando ; rubicunda, virtutia calcando ; Candida, affectum purificando ; rubicunda, actum carnalem mortificando ;

Candi-

^a Cant. 4..

^b Lib. 2. Paschal. de miraculis Christi..

^c Serm. de B. Maria.

Candida, Deum diligendo; rubicunda, proximo compatiendo.

2.

Rosa fragrat odore. Nonnulli flores pulchri sunt, nec tamen grato odore fragrant; imo quidam flores admodum pulchri ingratum odorem habent. His & frigidi Catholici, & hypocritæ assimilari possunt.

Fragrat autem, coram Deo, vitæ morumque honestas & probitas; Virtus inquam. Hoc sensu Apostolus dixit: *a Bonus Christi odor sumus in omni loco.* Id à suis requirere videtur Christus Dominus, quando dicit, sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant Patrem vestrum, qui in cœlis est.

Fragrat etiam, coram Deo, Eleemosyna. Vnde & Apostolus Eleemosynam, à Philippensibus sibi missam, appellat odorem suavitatis, hostiam accep tam placentem Deo. b

D 7

Fra-

a 12. Cor. 2, b Philip. 4.

Fragrat & oratio coram Deo. id optat Dauid: Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. a

Ideo sacrificia Veteris Testamenti, cum grati odoris incenso offerebatur, ut Deo velut odor suavis placerent. Hinc quando Noe ex arca egressus, Deo sacrificium obtulit, ait Scriptura, *odoratusque est Dominus odorem suavitatis*: b quo loco Chaldaicus textus habet, suscepit Dominus cum beneplacito. Ita Sacerdotes Noui Testamenti, quotidie in Missa ad oblationem calicis orant, ut in conspectu Diuinæ Maiestatis, sacrificium illud, pro totius Mundi salute, in odorem suavitatis ascendat.

Siue ergo huius nostræ mysticæ rofæ, Beatissimæ inquam Virginis vitæ sanctimoniam, siue orationes eius continuas, omniumque Virtutum varia, specimina, ardenterissimi cordis pia desideria, & gemitus spectemus, mire coram Deo.

a Psal. 140.

b Gen. 8.

Deo fragrauit , & merito etiam dicere
possimus, quod odoratus sit Dominus
in ea odorem suavitatis.

3.

Porro Rosa varie medetur. Quæ
non aquæ ex balneo Mariæ, olea, phar-
maka, electuaria, emplastra conficiun-
tur? Id Medicis & Pharmacopæis re-
linquo. Ita nostra Rosa Beatissima Vir-
go Maria quos morbos non sanat? Te-
stantur id toto orbe Christiano , sacra
in templis anathemata , quæ clamant
tot millia hominum eius opem sensi-
fe, ut non frustra audiat, Auxilium Chri-
stianorum , Consolatrix afflictorum,
&c.

4.

Interim ò Naturæ mysterium. Ita
in pretio hunc florem habendum na-
tura ostendit , ut munierit cum horri-
dulis spinis , contra olentem hircum &
alias bestias , quæ dignæ hoc flore non
sunt.

Admit-

Admittit tamen Apem argumentos
sam, vt mel inde conficiat; Scarabæum
vero stercoribus assuetum necat. Helui-
dius, Nestorius, & plures alij Hæresiar-
chæ Rosetum hoc venetiare, & deuasta-
re conati sunt; omnes hi Spinis confixi
interierunt. Cunctas hæreses sola inter-
emisti, canit Ecclesia. Vel quia eum ge-
nuit, qui Lernæ inferorum ceruicem
pressit; vel quia cunctis fidei defensori-
bus, & Ecclesiæ Doctoribus singulari-
ter opitulatur, vt omnes hæreses peri-
mant, & extinguant.

PIÆ CONSIDERATIO N E S.

I.

Admirare opus Dei in hoc flore,
Sanctissima inquam hac Virgine.
lauda Dei sapientiam, bonitatem,
qui hunc terrestrem Paradisum, Eccle-
siam suam tam pulchro flore condeco-
rare:

rare voluit. Contemplare ut niteat immaculata sua conceptione, & plurimis alijs prærogatiuis. En quomodo erubefcat hæc rosa, ad vocem Angeli, *Concipies.* turbatur, verecundatur, conscientia voti Virginitatis.

Ecce quam subinde rubeat, & flagret amore Dei. Ecce quam se ex ramulo suo demittat, & humiliet. ancillam Domini se profitetur. Has virtutes imitare.

2.

Quando totus ares, & spiritualia pene desipiunt, ex hac Rosa, tanquam Apis argumentosa mel confice. hoc melle animam tuam recrea. Tota enim dulcis est; diffusa est gratia in labijs eius. mel & lac sub lingua eius.

3.

Et quia gratum quid spirat hæc Rosa, fruere hac fragrantia, in odorem vnguentorum eius curre. In plateis, in vijs publicis, toto vitæ suæ decursu, omni morum honestate, sicut myrrha electa dedit,

78 LITAN. LAVRET.

dedit suavitatem odoris. Imitare vitæ puritatem, mansuetudinem; indue viscerā misericordiæ, sis bonus Christi odor in omni loco, bonis exemplis & varijs Virtutum specimēnibus alios attrahē, ad pietatem incita.

4.

Quin & pharmaca hinc confice, infirmitatibus tuis medere. Rosa hæc vitiatos purgat humores; & noxios refrigerat calores: fellisque amari temperat furores. Tu modo conare, ora, imitare, & magna solertia, ex hac dulcissima Rosa, succos salubres exerce.

5.

Ex roseto hoc, cauto vngue, reuerenter carpe, rosas collige, sertum contexte, Virginem hanc honora, laudatissimo, & fructuosissimo in Ecclesia orandi modo; Rosarium inquam devote percurre, meditando mysteria dolorosa, gaudiosa, gloria.

6.

Addo aliud consideratione dignissimum,

simum, ipsis S. Ambrosij verbis: a Surrexerat, inquit, ante floribus immixta teneris,
sine spinis, rosa, & pulcherrimus flos, sine vlla
fraude vernabat: postea spina sepsit gratiam
floris, tanquam humanæ speculum præferens
vitæ, quæ suavitatem perfunctionis suæ, finiti-
mis curarum stimulis, sæpe compungat: Valla-
ta est enim elegantia vitæ nostræ, & quibus-
dam sollicitudinibus obsepta, ut tristitia ad-
iuncta sit gratiæ. Cum vnuquisque aut sua-
uitate rationis, aut prosperioris cursus suc-
cessibus sibi gratulatur, meminiſſe eum culpæ
conuenit, per quam nobis in paradisi amœni-
tate florentibus, spinæ mentis, animique ſen-
tes iure damnationis adscriptæ ſunt. Irrutiles
igitur ð homo, licet, aut splendore nobilitatis,
aut fastigio potestatis, aut fulgore Virtutis,
ſemper tibi spina proxima eſt. Semper infe-
riora tua respice, ſuper spinas germinas, nec
prolixa gratia manet. Breui vnuquisque de-
curoſo ætatis flore marcescit.

7.

Spinis te arma. Nihil ſibi Mundus,
nihil

a Lib. 3. hexa c. II.

80

LITAN. LAVRE T.

nihil caro , nihil dæmon de innocentia tua, & meritis decerpit. Resiste, arce impurum vnguem; aures, oculos, cor tuum spinis sepi. Appareat etiam in te aliquis pœnitentiae rigor. Inter spinas, & tribulos tribulationum, ut rosa fulge. sustine Dominum.

L I L I V M I N T E R
S P I N A S .

Commodo attexi potest Titulus hic , qui in sequentibus Litanij habetur , propter quandam rei affinitatem. Sicut Lilium inter Spinas , sic Amica mea inter filias. *a*

Per spinas peccata passim in *S. Scriptura* intelliguntur. Inter omnes ergo, qui in peccatis nascuntur, sola B. Virgo excipitur, quæ sine peccato concepta, & nata, sine peccatis vixit, & obiit.

Hinc Adam de *S. Victore* ita cecinit:

Salve

a Cant. 2.

Salve Verbi sacra parens,
Flos de spina, spina carens
Flos spineti gloria.

Nos spinetum, nos peccati
Spina, sumus cruentati,
Sed tu spinæ nescia.

Ex horrido maiorum suorum spine-
to B. Virgo nata est , sicut liliū inter
spinas. In Regia stirpe sua habuit mul-
tos impios, idololatras, & magnos ytri-
usque sexus peccatores.

Vetus testamentum leges quidem
sanctas, sed asperas habuit, easque pluri-
mas. Synagoga, Scribæ & Pharisei , alli-
gabant onera grauia, & importabilia. &
in hominum humeros imponebant ; a
de simili iugo conqueritur Petrus in A-
Etis, b quod nec Patres nostri , nec nos,
inquit, portare potuimus.

Ex hoc Spineto extitit tandem hoc
liliū, nitens puritate, & candore ani-
mæ , & odore sanctissimæ vitæ fra-
grans.

a Matth. 23.

b Actor. 15.

grans. ^a In spina tria nótantur: Citò floret; cito arescit, aculeis pungit. Ita peccatores cito florent diuitijs & rebus prosperis, in Virtutibus cito arescunt, malis moribus iustos pungunt, maledicis inquam linguis, & persecutionibus varijs.

In Lilijs tria itidem obseruantur : ^b Aureus color in medio, candor floris, & odor eximius. Iusti intus fulgent, Dei amore succensi: foris nitent vitæ innocentia, Virtutibus fragrant, & sunt bonus Christi odor in omniloco.

Honorius ait, sicut Sponsa Ecclesia est lilyum inter spinas, hæreticos, & falsos fratres; sic & anima fidelis inter spinas, iniustos scilicet & peccatores.

Lilyum inter spinas eminet coloris decore, & odore: Sic iusti inter peccatores eminent, decore vitæ, & odore doctrinæ. Simul etiam spinas habent, austерitate vitæ, & mortificationibus carnis.

De

^a Spine. ^b Lilia.

De Beatissima autem Virgine omnia
in summa perfectione intelligenda: ni-
tet enim. vitæ sanctissimæ puritate: Vir-
tutum omnium exemplis fragrat: tribu-
lationibus tanquam spinis horrida , &
exercitatissima. S. Bernhard. in Natiu.
Mariæ. Dilectus pascitur inter lilia.apud
Mariam vtique pascebatur , idque co-
piosius pro multitudine liliorum. An
non lilia, Virginitatis decus, humilitatis
insigne , supereminentia Charitatis? E-
runt tamen & nobis lilia, quamuis infe-
riora valde.sed nec inter hæc dedignabi-
tur pasci sponsus.

O R A T I O .

Salue, O R egina cœlestium florum
Rosa, inter omnes speciosa, Salue
valde decora, quæ variarum Virtu-
tum pulchritudine , omnes nos in ad-
mirationem , & amorem tui rapis: Ah
quam fragrant tuæ misericordiæ visce-
ra. Admitte, oro , solerter meam Ap-
culam,

culam , vt dulce sibi mel conficiat. Ne
punge spinis, aut si pungis, amore tui
confige. En & Apicula mea pungit, fo-
dit cor tuum, illa materna viscera, melli-
tum amorem fugit. Ah recrea animam
meam solatijs non omnibus notis: me-
dere infirmitatibus meis , quæ quanta
quanta es , saluberrimis succis plena es.
Ah tempera noxios calores , & languo-
res meos sana. Planta etiam Rosetum in
corde meo , & impetra , vt cor meum
modo vitæ puritate , & innocentia nite-
at, modo ex agnitione sui , & dolore de
peccatis erubescat, & flagret amore tui,
dulcissimique tui Nati. Fac vt sim quo-
que bonus Christi odor. in omni loco.
fragrem exemplo & imitatione tuarum
Virtutum. Sepi cor meum spinis , vt se-
curus sim ab insidijs inimicorum meo-
rum, & in medio spinarum, & variarum
tribulationum, velut Rosa illibata , co-
ram Deo, & hominibus fulgeam. Quæ
in cœlis coronata triumphas in omnem
æternitatem, Amen.

TVR-

TVRRIS DAVIDICA.

TVRRIS EBVRNEA.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea. omnis armatura fortium.
a Collum tuum sicut turris Ehurnea. b

Dauid expulso Iebusæo, Hierosolymæ extruxit celsam, & fortem turrim, vt hostis aduentans facile videri, & impetus eius fortiter sustineri posset, quia ergo hæc turris alijs celsior erat, iudicat Salomon Sponsam inter coeteras eminere.

Pie & prudenter olim Victores spolia, & arma hostibus erepta, Deo consecrabant, & in Templis, ac turribus suspendebant, anathemata vocantes. Ita Iosue vastata Hiericho, c aurum, argento, vasa ænea &c. in ærarium Domini intulit. Ita Dauid, d arma &

E gladi-

a Cant.4. b Cant.7.

c Ios.c.6.

d I.Reg.17.

N
e
t
u
f
l
i
a
m
n
e
n
t
a
e
s.
o
i
n
u
m
t
e
d
e
u
j,
o
o
m
e
p
m
o
x
m

gladium Goliath , in tabernaculo Domini suspendit. Ita Iudith *a* conopæum Holofernis, & alia obtulit in anathema. Quæ consuetudo adhuc hodie viget, ut videre est passim etiam in antiquissimis templis ; & hoc maxime tempore , quo hæc scribo, post tot victorias gloriosissimi Cæsaris Ferdinandi II. in varijs locis videre est templo plena eiusmodi trophæis. Hinc verisimile est Turrem Dauid intus armis fuisse instructissimam , foris autem plenam suspensis eiusmodi spolijs , hostibus cæptis hinc etiam mille , id est , innumeri clypei pendebant ex ea , omnis armatura fortium videlicet victorum , & prostratorum.

Cur autem Beatissima Virgo Turris Dauidica , & eburnea dicatur , pulchre explicant Doctores. *b* Gregorius Nyssentis , Honorius , Theodoreetus , & post hos Hailgrimus Cardinalis , Rupertus

a Judith.16.

b Serm.7.in Cant.

pertus & alij plures in plerisque con-
 ueniunt, & B. Virginem per turrim Da-
 uidicam præfiguratam dicunt, quæ non
 tantum ab hostibus inexpugnabilis
 fuerit, atque ita nullam læsionem in a-
 anima acceperit, aut peccati maculam,
 sed omni armorum genere instructa,
 Virtutibus inquam, excellentijs & præ-
 rogatiuis, quibus illa cunctas hæreses
 sola interemit, vt canit Ecclesia, quæ
 arma adhuc hodie Ecclesiæ, & omni-
 bus fidelibus heroicè contra spiritua-
 les hostes pugnantibus suppeditare so-
 let. Theodoretus, in Cantica (& ex hoc
 Cardinalis Hailgrimus) ita scribit: *Hanc*
Turrim B. Virginem - Christus in Ecclesia e-
rexit, vt esset peccatoribus refugium, & mu-
nimen: Propugnacula eius sunt Virtutes, &
gratiæ, dignitates, & prærogatiæ. Clypei,
exempla virtutum, per quas resistitur contra
tentationum insultus, vt prudentia, fortitudo,
temperantia, &c.

S. Bernhardus. *Tu, ô Virgo, inquit, &*

E 2

Turris

¶ Serm. 4. super Salve Regina.

Turris es aedificata cum propugnaculis suis,
 Hostes tui non parum formidabant, ne forte
 tu essem, quæ eras, per quam expugnandi erant,
 & damnandi, propter quod & terribilis eis
 fuisti, ut castrorum acies ordinata. a Nihil ve-
 ro omnino proficit inimicus in te, eo quod
 mille clypei pendent ex te, omnis armatura
 fortium. Nihil est enim Virtutis, quod ex te
 non resplendeat, & quicquid singuli habuere
 Sancti, tu sola possedisti. Tu supergressa es vni-
 uersas. b

D. Thomas Aquinas. c. Mille clypei, id
 est, remedia contra pericula, pendent ex ea. I-
 tem in omni opere Virtutis potes eam habere
 in adiutorium; Et ideo dicit ipsa: d In me om-
 nis spes vitae, & Virtutis.

In turri commendatur alitudo, pul-
 chritudo, & fortitudo. Ideo etiam Ru-
 pertus ait: Fuit B. Virgo turris in aspectu a-
 mabilis, statuta fortis, ac diabolo terribilis,
 & inaccessibilis. e

Hail-

a Cant. 6. b Cant. 2.

c Opusc. 8. d Eccli. 24.

e In Cant. c. 7.

Hailgrimus, Eburneam turrim dicit appellari propter candorem castitatis (cum Elephas valde castum animal sit) & propter firmitatem ac constantiam. item propter pugnaciam perpetuam, sicut Elephas cum Dracone habet: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, dicebat Deus, a & semen tuum, & semen illius. ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.*

I.

Sicut ergo Turres altitudine sua partim incolas recreant, partim fessos, aut errantes Viatores, quando illis apparent, & in mari aliquando spem portus faciunt: Ita Beatissima Virgo primos fideles miro gaudio affecit, Iosephum, Elisabetham, Zacharium, Simeonem, Annam, qui in hac turri agnouerunt promissiones impletas, & portum salutis affulsiſſe, tot ſæculis expectatum.

2.

In Turri ſemper, etiam quouis æſtu, licet aura, & ventulo aliquo frui,

E 3

qui

a Gen. 3.

qui humili loco non ita sentitur. Ita B.
Virgo per varias eminentias à Deo ex-
altata, varijs gratijs, ac priuilegijs à Spiritu
Sancto suauiter afflata fuit.

3.

Ex turri longe prospicitur , & re-
creat varietas, dum montes, vrbes, pa-
gi, syluæ, flumina , prata conspicun-
tur, quæ humilioribus in locis habitan-
tes latent. Ita Beatissima Virgo excelsis
suis meditationibus vidi quæ nos la-
tent. Plures stellas vident, qui excelsø
loco stant : plura cœlestia , & arcana
mysteria ipsa vidi , quam vllus homi-
num.

4.

Qui ex turri in terram despiciunt, ijs
omnia ista inferiora, parua videntur; ho-
mines sicut pigmei, & glires; Palatia sicut
tuguriola: Ita B. Virginii omnia terrena
parua, & contemptibilia visa sunt, quia
mente eleuata erat hæc gloriofa Domi-
na, excelsa super sydera, suis contempla-
tionibus super nouem Angelorum cho-
ros transcendens.

§. Qui

5.

Qui in tūrri habitāt , magna quiete
fruitur; non audit sermones hominum,
nec alios rumores, quæ alioqui mentem
distrahunt , & serias cogitationes impe-
diunt. Ita B. Virgo semper cum Deo oc-
cupata, nihil fuit impedita huius Mundi
negotijs, & rumoribus.&c.

6.

Altitudo maximè commendat tur-
rim , & admirationem parit. fortitudi-
nem quoque & firmum fundatum
inde coniucere licet. Hæc autem præter
admirandum humilitatis fundamētum,
innixa super dilectum suum, nulla ten-
tationum vi concuti, aut moueri potuit,
nec in morte quidem tam dilecti, & ele-
cti filij, celsa animo, fidei lumine illustra-
ta , in solo Deo spem , & fiduciam om-
nem collocatam habebat.

7.

Turres plerumque ad defensionem
patriæ ædificatae sunt , partim pro spe-
cula , vt aduentantes præuideri possint,

E 4

par-

partim pro receptaculo tuto, partim ut
inde cum hoste pugnari possit. *a Sic*
mulier ex turri quadam fragmen molæ deie-
cit, & Ducem Abimelech occidit. Ita hæc
Virgo nostra Diabolum, & omnes Hæ-
resiarchas, eam infestantes occidit. Inter
hos ex præcipuis vnuis fuit Nestorius,
quem Concilium Ephesinum excom-
municauit; Theodosius in exilium mi-
sit; linguam eius vermes eroferunt, &
Nicephorus scribit tandem à terra ab-
sorptum. Taceo Constantinum Copro-
nymum, & alios innumeros. Tu cun-
ctas hæreses sola interemisti, in vniuerso
mundo.

a Iudic. 9.

PIÆ CONSIDERATIO- N E S.

I.

IN omnibus periculis confuge ad hæc
turrim, sume arma, & scutum in ex-
pugna-

pugnabile, est enim his armis instructissima , quibus non tantum omnia ignita hostis tela , securus , tanquam parvulorum sagittas excipere, sed & contra audacior eundo , heroice congregari vires eius eneruare , & sternere poteris. Salomon ait : *a Turris fortissima Nomen Domini.* recte quidem , sed & ad Mariæ nomen portæ inferi tremunt : *extricat enim omne genus dæmoniorum.*^b

2.

Admirare altissimam hanc turrim, propter celsitudinem omnium gratiarum , & præminentiarum. Exaltata est enim supra Cedros Libani, & super Cypressos Montis Sion; Indaga soliditatem fundamenti , & inuenies profundissimam humilitatem , supra quam ingens moles Virtutum ædificata est. Respexit Deus humilitatem Ancillæ suæ , & eo ipso momento , quo se in humilem , & obedientem Ancillam Domini obtulit,

E 5 facta

^a Prou.18.^b Tob.6.

facta est Mater Dei, qua Deus non potuisset aliquid maius facere.

3.

Ascende hanc turrem, fruere leniter
aspirantibus auris Diuinæ gratiæ. Contemnare qua celsitudine animi Beatissima Virgo hoc Vniuersum supergressa, cœli cardines rimetur, illam altitudinem diuitiarum, Sapientiæ, & scientiæ Dei inquirens, tota cœlestibus arcanis immersa, delitijs affluens, quæ non licet homini loqui, assueta varijs reuelationibus & consortio Angelorum; Ut iam nil terrenum sapiat, quia in cœlis conuersatio eius. Ad fastigium huius Turris hæc Virgo peruenit per tot gradus Virtutum, quas tota vita sua ita exercuit, ut quoties ad virginem gressum pedes tolleret, toties ad Virtutem gradum ficeret.

4.

Et tu animos ad superna tolle, sublime tuere, ad hoc te Deus & Natura fixit. quid humili serpis, & cum yermibus.

bus terram rodis ? ad celiora natus es,
 mentem erige, turrim tibi exstrue, sed
 caue Babyloniam, caue superbam
 Luciferi sedem, Dei æmulam ; nam &
 hanc & illam Deus destruxit. humilio-
 rem tibi locum ostendo, sed tamen à
 terra eleuatum. *a Judith in superioribus*
domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in
quo cum puellis suis clausa morabatur, & ha-
bens super lumbos suos cilicium, ieunabat
omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbathum &c.
 Sat alte habitat, qui animo à terra remo-
 tus est. Vbiq[ue] cœlum, vbi Deus est. tu
 cum Deo age, & terrena non sapient.
 Superna loca, & à tumultu hominum
 remota, ad orationem, & colloquia cum
 Deo habenda, aptiora sunt. Ita Moyses
 cum Deo egit ; ita Elias ; Ita Christus
 Dominus Montes ad orandum elegit ; in
 monte orauit, & Apostolos suos instru-
 xit, in monte clarificatus est, in monte
 inter orandum captus, in monte pro-
 Mundo mortuus, in monte celos ascēdit.

E 6 5: Inte-

a Judith. c. 8.

5.

Interim tamen locus altus , corpus
 tantum à terra cleuat, non animum. alijs
 gradibus anima ad Deum scandit. Audi
 S. Augustinum. a Cogitas magnam fabri-
 cam construere? de fundamento prius cogita
 humilitatis. Et quantam quisque vult, & dis-
 ponit superimponere molem ædificij , quanto
 erit maius ædificium, tanto altius fudit fun-
 damentum. Artis est alte scandere intelle-
 &tu, & affectu , & non altum sapere. Al-
 tissima mysteria animo voluit Maria,
 Mater Dei iam ab Angelo pronunciata,
 Ancillam Domini se profitetur. Modus
 ergo ædificandi spiritualem turrim , iste
 est, vt Primo altum fundamentum hu-
 militatis iaciatur, quæ etiam suos gradus
 habet. Deinde superædificantur Virtu-
 tes solidæ, ponantur ascensiones in cor-
 de, eatur de Virtute in Virtutem; per su-
 perata, & calcata vitia tandem in altum
 scanditur, ad anteriora sese extendendo,
 idque constanter , & perseueranter; sic
 pulchris

a Serm. 10. de verb. Dom.

pulchris gradibus peruenitur ad fastigium, vt anima inueniat se tandem à terrenis remotam, contemplatione rerum cœlestium suauiter delectari, liberius cum Deo licere colloqui, ciusque amore & gratia frui.

ORATIO.

O Spectanda, & admiranda moles,
Turris Dauidica, dulcis Virgo
Maria, fundamenta tua in mon-
tibus sanctis, ad cœlum usque educta,
moribus Virgineis Eburnea, Virtutum
omnium perfectione teres, & rotunda,
gratijs & prærogatiuis celsissima, omni
armatura fortium instructissima, hosti
formidanda, & terribilis, commune re-
fugium peccatorum. Ah admitte me ad
te confugientem, quem tot immanes
hostes persequuntur. Liceat mihi hinc
arma sumere; modo in tua protectione
sim, cuiusvis manus pugnet contra me.
In hac turri securus ero, pugnabo stre-

E. 7

nue

nue contra hostes meos. Ad fastigium
turris scandam, inde omnia mihi immi-
nentia pericula dispiciam, fruar illic cœ-
lesti aura, quæ noxium æstum attempe-
ret, solutus omnibus terrenis curis, &
desiderijs, totum me cœlestium rerum
meditationibus impendam, quæ sursum
sunt sapiam, non quæ super terram; sic
tu me adiuua cœli Regina, quæ in Cœ-
lis coronata triumphas in omnem æ-
ternitatem. Amen.

DOMVS AVREA.

IN sequentibus Litanij salutatur Bea-
tissima Virgo DOMVS SAPIENTIÆ,
vbi ad litteram Academia Salomonis
insinuatur, *a* Quia tamen hic Domus
Aurea vocatur, transferimus ad has
Litanias illud encomium, & auream
hanc Domum flexo poplite salutabi-
mus.

Quo ad litteram & historiam, Sa-
lomon.

a Prog. 9.

Solomon in monte Syon ædificauit Gymnasia , a vbi præter legem , variae artes , & disciplinæ docebantur . Nam licet tempore Samuelis in Bethel , Rama , Hiericho , & alijs locis terræ Israel , scholæ exstru- Etæ fuerint , in quibus filij Prophetarum in Lege Dei , & alijs disciplinis excole- bantur , præcipua tamen Academia à Salomone in monte Syon ædificata fuit , vbi ex septem cathedris , mar- moreis columnis innixis , a Lex Dei , & omnis sapientia docebatur . Hinc ali- qui Esaiam eo allusisse putant , quan- do cap. 2. scripsit : b Venite ascendamus ad montem Domini , & ad montem Dei Iacob , & docebit nos vias suas . quia de Syon exhibet Lex , & Verbum Domini de Hierusalem . Similes cathedræ etiam in atrio templi erant , vbi Doctores Legis sedebant , iux- ta illud , super cathedras Moysi sedebunt Scribæ & Pharisæi &c. ibi Christus in
medio .

a Ioseph de bello Iudaico c. 6.

b Abulens . super 4. Reg. 2. q. 9.

c S. Optatus Mileuit . super Esa. c. 22.

medio Doctorum inuentus est: Ibi Sau-
lus ad pedes Gamalielis.

Ecclesia ergo B. Virginem appellat
Domum Sapientiæ, quam sibi æterna
sapientia ædificauit, & excidit columnas
septem. quod SS. Patres varie B. Virgini
applicant. S. Bernhardus tres Virtutes
Theologicas, & quatuor cardinales, in
summo gradu in anima B. Virginis in-
telligit. Alij septem dona Spiritus San-
cti. Alij septem opera misericordiæ. Alij
septem Sacra menta in hac Domo à
Christo cœpta. Hugo Cardinalis pul-
chre applicat B. Virginis septem alias Vir-
tutes ex Epistola S. Iacobi cap. 3. a Sapi-
entia autem quæ defursum est, primum qui-
dem pudica est, deinde pacifica, modesta, su-
dibilis, bonis consentiens, plena misericordiæ,
& fructibus bonis, iudicans sine simulatione.
Quæ notantur in salutatione Angelica.
Primò, Pudica: missus est Angelus Gabriel
ad Virginem. Secundo, Pax siue Concor-
dia; desponsata Viro &c. Tertio, Suadibilis:
cogitabat, qualis esset ista Salutatio Quar-
tò, Mo-

tō, Modestia : *Quomodo fiet istud &c.*
Quinto, consensus : *Fiat mihi secundum
verbum tuum.* Sextō, Plenitudo miseri-
cordiæ: *Exurgens Maria, abiit in Montana*
&c. Septimō, Iudicium sine simulatione:
Ecce Ancilla Domini fiat mihi. &c.

Vel aliter. Primō Virginitas : *missus est
Angelus Gabriel ad Virginem* Secundo, Ta-
citurnitas: *cogitabat qualis esset ista saluta-
tio.* Vel, *Maria autem conseruabat omnia
verba hæc, conferens ea in corde suo.* Vnde &
in Euangeliō tantum quater locuta le-
gitur. (primō, Angelo. secundō, *Fili quid
fecisti nobis sic.* tertio, salutando Elisabe-
tham. quartō, in nuptijs Canæ) Tertio,
Stabilitas: *Ingressus Angelus Gabriel ad eam.*
Quarto, Strenuitas : *Exurgens abiit in
Montana.* Quinto, Humilitas: *Ecce Ancilla
Domini.* Sexto, Pietas: *Mansit autem Maria
cum illis quasi tribus Mensibus.* Septimo,
Prudentia : *Quomodo fiet istud?* Subiicit
versum adiumento memoriæ:

Cafta, tacens, residens, operans, hu-
milis, pia, prudens.

Omnès

Omnes hi sensus & applicationes, merito probantur, quia Virtutes tantæ Virginis pulchre illustrant; quod & ego breuissimè conabor ostendere, per proprietates domus rectè & prudenter ædificatæ.

I.

Firma requiruntur fundamenta, ea prudentia, Augustino teste, & ut quanto cogitatur erigi maius ædificium, tanto altius fodiatur fundamentum. Id æterna fecit sapientia, hanc Domum ædificans. Licet ex Regia stirpe originem traxerit hæc Virgo, in mediocri tamen statu, ne dicam paupere, & humili educata, nupti fabro tradita est. & licet Virtutibus, & gratia Dei plena fuerit, id Orbi tamen ignotum fuit. *respxit Deus humilitatem ancillæ sua.*

2.

Muri quoque firmi sint necesse est, maxime si domus alta esse debeat. hæc autem domus exaltanda erat super choros

& Aug. Serm. 10. de Verb. Dom.

choros Angelorum. Parietes adinodum firmos habuit , tanquam firmata in Syon. nullus casus aduersus potuit labe- factare. stetit à præsepio , usque ad cru- cem Christi.

3.

Tecto benē munita esse debet , con- tra pluuiam, tempestates, niues, grandi- nes,&c. Heu quantas hæc domus exce- pit procellas ? oppleta vna cum dulcissi- mo filio opprobrijs , & contemptu, ceu densæ niue. Neque ullis perturbationum ventis periculoſe concuti potuit , vt in- ordinate tristis, aut impatiens reddere- tur.

4.

Omnia loca debent esse, pulchro or- dine, in certos usus distributa ; quæ offi- cinarum distributio valde ornat domū. Quid autem ordinatius excogitari po- test vita B. Virginis , quæ exemplo filij charissimi , iuxta ætatem , & tempora, modo has, modo illas Virtutes exercevit? licet omnes simul cumulatissimè habe- ret.

5. Or-

5.

Ornamentum domus est, vt sit lucida, non habeat angulos obscuros, & tenebricos, vt secure quis ambulare possit, maxime per scalas. Hæc autem domus sapientiæ, radijs Spiritus Sancti plene fuit illustrata, intellectu & lumine spirituali abundantter prædita, sine ullis ignorantiaæ tenebris, altissimorum mysteriorum conscientia.

6.

Mundities ornat domum. palarium quantumuis elegans, & magnificum, si sordidum sit, vilescit. Hæc autem domus nunquam contaminata est. tota pulchra, & macula non crat in ea, præseruata à Spiritu sancto. quia Domum Dei decet sanctitudo.

7.

Ornatur insuper tapetibus, picturis, quantumuis structura per se elegans sit, quod in Palatijs Regum & Principum videre est. Quis vero nobis explicet pulchritudinem, & varietatem Virtutum,

tutum , & prærogatiuarum Beatissimæ
huius Virginis , quibus omnes parietes
vestiuit, ubi dilectus eius habitare desi-
derauit.

8.

Instructa debet esse domus omnibus
rebus necessarijs , & supellecili co-
piosa, & quæ ad commodam habitatio-
nem pertinent. ideo hoc loco addi-
tur , *miscuit vinum , & posuit mensam
suam.*

Hæc de se ipsa dicit , in tabernaculo
eius coram ipso ministraui. *a Hein* qua-
les epulas Æterna sapientia, in hac domo
parauit toti generi humano? Introduxit
me Rex in cellaria sua. dum dico , *Ver-
bum Caro factum est , compendio omnia
dico.*

9.

Non tantum necessarijs rebus, simi-
lis domus , instructa est , sed repositos
etiam, tuto loco, habet thesauros. Bone
Deus, quales thesauros , in hanc do-
mum,

a Cant. I.

rum, Æterna Sapientia recondidit?
Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, hæc
supergressa est vniuersas.^b

10.

Quædam domus non tantum pro
habitatione, & quotidianis necessita-
tibus exstruuntur, sed ad recreationem
quoque, & ad animi oblationem.
Et in hac quidem domo mirificè sibi
complacuit Æterna Sapientia. Si enim
beneplacitum est Domino super timentes
eum, & in eis qui sperant super misericordia
eius; quantum beneplacitum habuit in
hac sua electa ex millibus.

PIÆ

a Prou.31.

b Psal.146.

PIÆ CONSIDERATIO.
N E S.

1.

LIcet magni Domini eiusmodi palatia erigant sibi ipsi, tamen permittunt aliquando, ut aduenæ ea inspiciant, & curiose lustrent. hoc enim cedit in honorem Domini, dum alij admirantur elegantiam ædificij, distributionem, sumptus. vnde & aliquid disce-re, & imitari licet. Visitemus ergo & inspiciamus hanc domum Sapientiæ, ultro inuitamur. Qui parvulus est, ad me declinet. Inspiciamus diligenter, admiremur, imitemur quantum possumus.

2.

Si anima iusti, Sedes est sapientiæ, Salomone teste, Rogemus Æternam Sapientiam, ut placeat ei, animam nostram in domum sibi ædificare, & solidè fundare, muris atque columnis fir-mare,

mare, eamque inhabitare. Nos virtutibus necessarijs cooperemur. S. Chrysostomus, a comparat nos pueris qui in arena, & luto domunculas formant. Nos ex luto aliquando ædificamus sine paleis^b, terrenis desiderijs inhiantes. Audi Prophetam : *Dic ad eos, qui liniunt absque temperaturæ, quod casurus sit paries: erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem, & dicetur, Vbi est litura, quam linistis?*

3.

Studeamus mundiciei per examina conscientiæ, & confessiones. Ornemus ta petibus, varijs inquam virtutibus, auferamus quicquid Dilecti oculos offendere potest.

4.

Instruamus omnibus rebus necessarijs. misceamus etiam vinum nostrum, & mensam paremus operibus misericordiæ,

a Hom. 55. ad pop. Antioch.

b Ezech. 13.

cordiæ, & officijs charitatis, quæ nobis
mutuo debemus.

5.

Inuitemus Dilectum ad domum no-
stram; modum alliciendi scimus ita enim
ipse ait: *a Si quis diligit me, sermonem me-
um seruabit, & Pater meus diligit eum, &
ad eum veniemus, & mansionem apud eum
faciemus.*

6.

Imò vltrò venit , modo ei aperiā-
mus: Ecce, inquit , ego sto ad ostium,
& pulso : *Si quis audierit vocem meam, &
aperuerit ianuam mihi, intrabo ad illum, &
cœnabo cum illo, & ipse tecum.* Ecce af-
fert secum suas delicias , quibus frua-
ris.

a Ioan.14,

ORATIO.

AHsalue spectanda Domus Sapientiæ Æternæ: audio beatos prædicari

F

dicari

110 LITAN. LAURET.

dicari, qui vigilabant ad fores tuas quotidie,
 & qui obseruant postas ostij tui. a Sacra
 hæc non cuiuis , nec quoquis tempore
 forsitan porta patet. Ecce adsum , & vi-
 gili oculo obseruo postes ostij tui; flexis
 quoque poplitibus adrepo , & ostium
 crebris suspirijs pulso. Scio quia confor-
 tauit Deus seras portarum tuarum; Ve-
 rumtamen attollite vos portæ qua-
 tumuis fortes, & solido ære rigentes, ad-
 mittite a nhelantem animam, amore ve-
 stri sauciam; liceat spectare opus, toti or-
 bi ob soliditatem & decorem eius admi-
 randum. Audio clamantem; b Qui paruu-
lus est, declinet ad me. O Domina mea, non
 est exaltatum cor meum , neque elati
 sunt oculi mei, neque in magnis, & mi-
 rabilibus super me, ambulo : Ecce puer
 ego sum, nescio loqui, nescio prædicare
 dignitatem, & excellentiam tuam. Video
 septem cathedras, septem columnis in-
 nitentes , ubi omnis sapientia docetur,
 & Do-

a Prou. 8.

b Item 8.

Auditor esse cupio ; Loquere Magistra,
& Domina mea , quia audit Seruus tu-
us. Bonitatem , disciplinam , & scienti-
am doce me. Sedcbo humiliis , & quiet-
us; obseruabo lenem susurrum , in quo
Dominus est ; hauriam salutem à Do-
mino. Laudo & suspicio Architectum
Domus huius ; opus & artificium suum
commendat Magistrum. Æternæ sapi-
entiæ dona in te admiror , particeps que-
fieri vnicē ex opto , à te Domina , & Ma-
gistra mea , sapientiæ studio erudiri ,
summo desiderio , & ex omnibus ani-
mæ meæ viribus , humillimè peto. Quæ
in cœlis coronata triumphas in om-
nem æternitatem , A-
men.

FOEDERIS ARCA.

DE Arca Testamenti hic agendum, & eius operculo, quod propitiatorium dicebatur, supra quod duo Cherubim, alter alterum respiciebat, vnde Oracula & diuina responsa data, de quo Dauid canebat; *a Qui sedes super Cherubim.* Credebatur enim Deus quasi scabellum pedum habere propitiatorium, quando responsa dabat.

Vnanimiter SS. Patres per Arcam Testamenti Beatissimam Virginem intelligunt, coram qua varijs pijs meditationibus quasi psallunt, & saliunt cum Dauide, Deum in hac Arca laudantes.

I.

Iussu Dei fabricata erat de lignis Senthim, quæ teste D. Hieronymo in deserto Arabiæ nascuntur. Candidum & pulchrum visu lignum, innocentiam & Vir-

a Psal. 79. & 98.

& Virginitatem Mariæ indicat. Genus albæ spinæ erat durum & forte , quod rigorem vitæ eius , laborum item tolerantiam , & inquietum animum significat. Lignum Sethim significat etiam corpus B. Virginis , quod per mortem non est corruptum , sed tertio die in cœlum translatum. Nulla temporum diuturnitate putrescebat , nec à vermis bus rodi poterat : Maria fomite peccati carebat. Ab igne penè insuperabile erat ; Ita nullo ardore concupiscentiæ tentari , nedum superari Maria poterat.

2.

Arca hæc vestita erat auro purissimo intus & foris. Per aurum in S. Scriptura varia intelliguntur, propter multas eius pulchras proprietates; Est enim purum, & incorruptibile, nullo igne superabile, elegans & splendens , in magna hominum existimatione & pretio habetur. De Maria illud Dauidis canunt Patres:^a

F 3.

Omnis

^a Psal. 44

Omnis gloria eius filiae Regis ab intus, circum-
amicta varietate. Virtutum decora Virgi-
nis huius intelliguntur, maxime Chari-
tas Dei, quæ quidem etiam se extendit
ad exteriora erga proximum: Ideo Arca
intus & foris auro purissimo vestiri de-
bebat.

3.

In hac Arca recondita erat Lex dimoto
Dei scripta; vnde & Fœderis Arca dicta, ex
pacto, quod Deus cum populo suo fecit,
quamdiu scilicet Legem eius obserua-
ret, fore eius protectorem &c. Secundò,
In vrna etiam Manna asseruabatur. Tertiò,
Virga Aaron. a Per Tabulas legis, obseruan-
tia præceptorum, & voluntatis Dei sig-
nificatur in corde B. Virginis. Per Manna,
ipse panis cœlestis, qui de cœlo in vte-
rum Virginis descendit: Per Virgam Aa-
ron, partim miraculosa fœcunditas Vir-
ginis, partim potestas & directio Dei
significatur, qua Deus suos dirigit, &
ex Ægypto ad terrā promissionis ducit.

4. Hæc

a Hebr. 9.

4.

Hæc Arca erat commune perfugium
in necessitatibus, loco Templi, vnde &
responſa Dei dabantur. Certum est Ma-
riam post Christi ascensionem commu-
ne refugium Christianorum fuisse, vnde
& consilia, & solatia acceperunt, tan-
quam oracula & vocem Dei.

Quin etiamnum in cœlis agnoscitur
tanquam refugium peccatorum, & plu-
rima miracula & oracula edit. quod &
per Propitiatoriū Altissimi significatur.
Ita peculiariter B. Ephræm, & Metho-
dius explicant, præter alios. a Tu, inquit,
es Propitiatorium per quod Deus humanam
naturam indutus, mortalibus apparuit. An-
dreas Cretensis. b Quam diu versabaris in
terrīs, o Virgo, te habuit parua terræ portio,
ex quo autem translata es à terra, te vniuer-
sus Mundus continet commune Propitiatori-
um, o vita suppeditatrix, & vita viuenti-
um.

E 4

Migr-

a Meth. Orat. in hypapantem.

b Orat. de dormit. Virginis.

5.

Migravit Arca cum populo , communis fortunæ particeps , sed semper in magna reuerentia habita. Taceo peregrinationem ad templum, in Montana, in Ægyptum. Maria etiam cum nouis Christianis peregrinata , varia incommoda experta, sed in magno honore habita.

6.

Etiam capta est Arca à Philistæis , & varie illusa , sed non impunè: magnæ enim pœnæ inde subsecutæ. Ita Deipara Virgo adhuc hodie ab Hæreticis varie illuditur & blasphematur , sed Ecclesia canit de ea, *Cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso Mundo.*

7.

Terribilis fuit inimicis. ita enim, dicebat Moyses cum eleuaretur: *a Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, à facie tua. Ut cognouerunt Philistæi venisse Arcam in castra populi.*

a Num. 10.

populi Israel, timuerunt & ingemuerunt dicentes, *Venobis.* a Ah quomodo phalanx inferorum timet, & tremit ad ipsum nomen M A R I Æ, ad cuius invocationem ex obsessis dæmonia cedunt.

8.

Arca capta in Templum Dagon collocata, idolum subuertit, & confregit. Ita ubi Mariæ cultus introducitur, cadunt & eneruantur omnes hostis machinæ, omnia desideria nocuæ, vitia inueterata, vetus denique Adam, vitijs plenus, & ad omne malum propensus, idolum abominandum.

9.

Dum Arca circumferretur cum tubis, ceciderunt muri Hierichuntini, Ridiculum hoc fuit, Deus fecit hæc omnia, & est mirabile in oculis nostris. b Numquid buccinæ clangore, & populi clamore moenia firma concuti, & deisci possunt?

F 5

Dum

a 1. Reg. 4.

b Ios. 6.

Dum Iosue, sacerdotes, & populus Deo
obediunt & fidunt; dum tubis canunt,
& Arcam cum reuerentia circumferunt,
Deus Spiritu oris sui muros disiicit. Ma-
gna in Deum fiducia , laudes & cultus
huius Arcæ, gloriosissimæ inquam Vir-
ginis Mariæ , firma hostis mœnia , &
portas inferi quatunt , & dissilire co-
gunt. Ita Damascenus : *a. Iubilemus, in-*
quit, in Arca &c..

IO.

Non licebat Arcam nudam videre,
multo minus tangere , neque Leuitis
quidem, extra motum castrorum, mor-
tis etiam pœna proposita erat, ut maior
scilicet reuerentia excitaretur, erga tan-
tum mysterium. *b. Joseph, licet maritus; hoc*
Sanctuarium Dei non attigit. Ipsi Angeli
Propitiatorio altissimi insidentes , & se
mutuo intuentes mysterium admirab-
antur. Oza Arcam tetigit , etiam vela-
tam , & bona intentione ne caderet, à
Deo

a. Orat. 2. de dormit. B. Virginis.

b. Num. 4.

Deo tamen percussus illico interijt, qui
consiliarius Dei est, causam inquirat.

Silco illam cladem Bethsamitarum, &
qua percussit Dominus de viris Bethsamitibus
eo quod vidissent (curiosè) arcam Domini, de
populo septuaginta viros) seniores & excel-
lentiores .) & quinquaginta millia plebis.
Taceo Azotiorum infame vlcus, & ma-
gnam stragem: Illis autem circumduenti-
bus Arcam, b siebat manus Domini per singu-
las ciuitates interfectionis magnæ nimis , &
percutiebat viros vniusciusque vrbis, à paruo
vsque ad maiorem , & computrescebant pro-
minentest extales eorum.

Obseruarunt Sancti Viri, Deum in-
iurias proprias facilius dissimulare, quam
minimam irreuerentiam in Matrem
Dei, quæ quantumuis aliquando videa-
tur leuis , perrarò tamen transire inul-
tam. c Ita sanctificauit tabernaculum suum
altissimus.

F 6

PIÆ

a 1. Reg. 6.

b 1. Reg. 5.

c Psal. 54.

PIÆ CONSIDERATIO-
N E S.

I.

Antequam populus Dei terram sanctam occuparet Arcam Fœderis cum suo Propitiatorio loco Templi haberi voluit ad hanc in omnibus necessitatibus confugerunt, & in rebus ambiguis responsa Dei, & directionem acceperunt. Ita in hac nostra peregrinatione, antequam ad cœlestem patriam perueniamus, de hac Arca nostra, Beatissima, inquam, Virgine Deus nobis prospexit, ut refugium & solatum haberemus in nostris necessitatibus. Et nemo est, inquit S. Bernhardus, qui hinc auxilium recte petierit, qui exauditus non sit.

2.

Admiremur & artem, & pretium hu-
ius Arcæ, iuxta exemplum in Monte
Æter-

Æternitatis ostensum. Ab initio, & ante
sæcula creata sum; Admiremur; quæ in ea
recondita sunt. Lex Dei in corde eius, digi-
to Dei scripta, & nullibi elegantius: id in
omnibus actionibus eius resplenduit.
Cibum Angelorum continebat, cœle-
ste illud Manna; in utero Virginis panis
Angelorum, factus est cibus viatorum.
Admiremur aridam Virgam Aaron
florentem, & fructus proferentem. Ve-
neremur & fœcunditatem Matris, &
Virginitatis honorem.

3.

Vbi castra mutanda erant, Arca Dei
præcessit triduo, prouidens locum castrorum. a
Inuocemus Deiparam, vt sua interces-
sione nobis locum manendi prouideat,
quo iam illa præcessit; nosque in hoc
periculoso itinere ad cœlum rectè diri-
gat.

4.

Quando Arca cum populo Iordanem tran-
sivit, aquæ cesserunt, vt omnes etiam ad duo

F 7

millia-

a Num. 10.

millia cubitorum sequentes, a sicco pede transire potuerint. Sequamur nos Arcam nostram, quæ per aquas tribulationum huius vitæ iam transiuit, videri à longe potest, figamus aciem, & gressum constanter, non operient nos fluctus tribulationum, ope, & intercessione Mariz.

5.

*Non terreant nos hostis machinæ, Iericho nobis expugnanda, ubi seges omnium malorum conclusa: castiganda caro, calcanda vitia, domandi prauia affectus, & inueterati mali habitus, superanda consuetudo peccandi, ne dicam necessitas, portæ inferi non præualebunt. Ne cadant animi, Nostra Arca rem expediet, hanc circumferamus septies cum hymnis & Canticis, septies in die laudem dicamus Beatissimæ Virginis, precibus ab Ecclesia ei decretis, magna id agamus fiducia in Deum, coram hac fœderis sui Arca cadent muri, hostis nobis cal-
candus*

a Ios. 3.

candus dabitur, in flamas suas remittendus.

6.

Salomon Arcam Testamenti in tanto honore, ac veneratione habuit. a vt Sacerdoti Abiathar, certo occidendo, (quod partes Adoniae secutus esset) vitam donarit, tantum propterea, quod Arcam sanctam coram Dauide patre eius portasset. Ita nobis sperandum, si hanc Dei Arcam debito honore afficiamus; eique fideliter ministremus, licet alioqui morte pessima afficiendi essemus, merituros gratiam, & æternam poenam euafuros; tam gratum hoc Deo seruitium est. Pleni sunt libri exemplis, multos ex rigore diuinæ iustitiæ iamiam in iudicio particulari damnandos fuisse, sed propter sola quædam obsequia Beataissimæ Virgini præstita ab æterna damnatione liberatos esse.

7.

Arca Domini tres Menses in domo Obbedem:

a 3. Reg. 2.

dedom requieuit, & sine dubio, à tota familiā varie honorata fuit. Vnde hoc exiguo tempore singularis Dei fauor, & benedictio animaduersa super Obededom, & totam domum eius: Ita experientia quadam didicimus, cultores B. Virginis etiam à Deo singulariter amatos, & varijs beneficijs, ac gratijs auctos fuisse; tam gratus est ei honor, qui cius Matri exhibetur.

22. Reg. 6.

ORATIO.

ERGO exsurge Domine tu & Arca san-
ctificationis tuæ, exsurge in adiutori-
um. Nil mihi cum umbra Veteris
Testamenti: aliud nobis parasti Taber-
naculum, hoc tempore gratiæ, ô Mundi
salus. Nil mihi cum lignis Sethim, & ful-
gente auro: non terræ, sed illius Virginis
viscera veneror, de qua audio Ecclesiam
canere.

a Psal. 131.

canere: Omnipotens Sempiterne Deus,
qui gloriösæ Virginis Matri Mariæ
corpus & animam , vt dignum filij tui
habitaculum effici mereretur , Spiritu
Sancto cooperante præparaſti : Ecce
quomodo ſanctificauerit Tabernacu-
lum ſuum Altissimus , Domus pudici-
pectoris, Templum repente fit Dei. Be-
nedita hæc fœderis Arca, & benedictus
fructus ventris eius. Agnosco in ea ve-
rum Manna , quod de cœlo descendit;
agnosco non tantum Legē Dei.in corde
eius scriptam , ſed ipsum Legislatorem.
Exſurge ô Sanctuarium Dei , ſemper
hostem terruisti, eius mœnia deiecisti. O
Propitiatorium Altissimi, ad te confugio
in neceſſitatibus meis; ô Dominā noſtra
Mediatrix, & Aduocata noſtra, quæ iam
in terram promiſſionis præcessiſti, in au-
gūtissimum illud Templerum cœleſtis
Hieruſalem , cum triumpho translata,
tuo dulcissimo filio , cui data eſt omnis
potestas, me commenda, reconcilia , re-
præſenta. Quæ in cœlis coronata tri-
umphas.

uimphas in omnem æternitatem , A-
men.

IANVA COELI.

CVm Iacob, obediens parentibus suis, pe-
regrinaretur in Syriam, a, quodam lo-
co obdormiuit, & vidi in somnis sca-
lam stantem super terram, & cacumen illius
tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascenden-
tes, & descendentes per eam, & Dominum
innixum scalæ &c. Cumque euigilasset Iacob
de somno ait; Vere Dominus est in loco isto, &
ego nesciebam: Pauensque, quam terribilis est,
inquit, locus iste? non est hic aliud nisi Domus
Dei, & porta cœli.

Occasione huius loci S. Scripturæ, ex-
plicandum venit , Beatissimam Virgi-
nem, & Ianuam cœli esse, & simul scalam
ad illam ianuam ascendendi. In visitatis
Ecclesiæ hymnis ita canimus ; In Ave
Maris Stella) Felix cœli porta. In O glo-
riosâ Domina) Intrent vt astra flebiles,
cœli

a Gen. 28.

cœli fenestra facta es, & Tu Regis alti ianua, & porta lucis fulgida.. Ita etiam in consuetis Antiphonis: Alma redemptoris mater) quæ per uia cœli porta manes. In Aue Regina). Salve porta , ex qua Mundus lux est orta.

Dices fortassis, licet cœlum apertum sit & porta pateat, quis ex profunda hac lacrymarum valle eò ascendat ? quibus modis eò pertinet ? Audi S. Augustinum: Maria facta est scala cœlestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad cœlum.

S. Hieronymus in Epistola ad Iulianum simile quid asserit: a Vidi Jacob scalam, ait, de terra usque ad cœlum, & ascendentes per eam Angelos, & descendentes, & desuper innitentem Dominum , ut laesis manum porrigeret, & ascendentes, suo, ad laborem prouocaret aspectu: Unde & vocatur locus Bethel, id est, Domus Dei, in qua quotidie ascēditur, & descēditur. Et sancti enim corrunt, si fuerint negligētes; & peccatores pristi-

num

a Li. 2. Epist. 21.

nū recipiunt gradum, si sordes fletibus latenterint. Hoc ideo dixi, vt non terreant descendentes, sed prouocent ascendentēs.

Legitur in vita S. Francisci, vidisse illum aliquando, sicut Iacob, duas scalas. Vnam rubram, cui Christus; alteram albam, cui B. Virgo innitebatur. Fratres autem sui certatim conati sunt rubram ascendere, sed plerique ex ea deciderunt. id doluit vehementer, & Christo cum lachrymis questus est, qui ait illi: Dic tu is, vt scalam Matris meæ scandant. Clamauit ergo vir Sanctus, Fratres mei, ad candidam Virginis scalam properate quod & fecerunt, & feliciter ascenderunt. Licet ergo scala crucis sit certa ad cœlum via, est tamen ardua, & difficilis; Mariæ autem patrocinium facile promouet deuotos suos cultores.

Sancti Patres suis contemplationibus variè scalam Iacob ascendunt, & descendunt, vt nobis eam explicitent. Rupertus Tuitiensis per hanc scalam adum-

a in I. cap. Mach.

umbrari dicit B. Virginis Genealogiam.
Gradus huius scalæ, progenitores fue-
runt huius Virginis per extremum eius,
tangens terram, Dauid intelligitur: Ex-
tremum vero quo cœlum tangebat,
Christus Dominus est, iuxta illud: a pri-
mus homo de terra terrenus, secundus
de cœlo cœlestis.

S. Bernhardus & alij quidam, intelli-
gunt per hanc scalam, duodecim gradus
humilitatis, per quos homo ad perfe-
ctionem, & ad ipsum cœlum ascendere
potest.

S. Augustinus, ^a b Angeli Dei, inquit, in
hac scala, sunt Dei Prædicatores, ascen-
dunt, ut erigant magnos; descendunt, ut
nutriant paruos. Vide ascendentem
Paulum, *sapientiam loquimur inter perfe-
ctos. Vide descendantem; lac vobis potum
dedi, non escam.*

Idem aliter alio loco explicat. Vedit in
scala,

^a 1. Cor. 5.

^b In Psal. 44.

scala Iacob, ascendentes, & descendentes. Possimus, inquit, putare ascendentes, viros perfectos: a descendentes, deficientes.

Confirmat hoc S. Bernhardus. ^a vidit, inquit, Iacob in Scala Angelos ascendentes, & descendentes. Nunquid stantem quempiam, siue sedentem? Non est stare omnino in pendulo fragilis scalæ; neque in incerto huius mortalis vitæ quicquam in eodem statu permanet. aut ascendas necesse est, aut descendas: Si attentas stare, ruas necesse est. Minime pro certo est bonus, qui melior esse non vult, & ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desiris esse bonus.

Alibi idem S. Bernhardus alium probatum sensum, ex officijs Angelorum elicit. ^b Ascendentes, inquit, Angeli, & descendentes sunt in loco isto. Ascendentes, ut videant faciem Patris: descendentes, ut prouideant nobis. Quid ergo nos? quomodo hic esse debemus, in quanta reuerentia stare in loco isto? ubi

^c a In Ps. 119. b In Epist. ad Garin. Abbatem
c Serm. 6. de dedic. Eccles.

*isto? vbi Deus est operans, & seruans ascen-
dentes, & descendentes,*

Peculiariter autem per hanc scalam
coeli, Beatissimam, inquam, Virginem,
Angeli ascendebant, & descendebant: il-
las puras & ardentes preces, illa ministe-
ria in Templo, illa pretiosa merita, af-
fidentes Deo præsentabant: descendente
s autem turmatim, ut ministraret,
ut gratiam, priuilegia, prærogatiuas à
Deo afferrent. Affuetia iam erat collo-
quijs, & apparitionibus Angelorum. Ita
enim S. Hieronymus affirmat.^a Quoti-
die, inquit, Virgo Domini ab Angelis
frequentabatur, quotidie diuina visione
fruebatur.

Georgius Nicomed. id confirmat,
dicens: ^b Hæc Virgo in dies versabatur,
cum Angelis, nec erat diuinorum ex-
pers apparitionum. Cum ea, ut solebat,
versante, in adytis vidit Zacharias (qui
munus Sacerdotale obibat) quendam
sermocinantem, quierat inusitata spe-
cie, &

^a De Nativit. Mariae. ^b Orat. de obl. Virg.

cie, & ei præbentem alimentum. Erat autem, inquit, qui ei apparebat, Angelus.

Idem testatur Georgius Cedrenus. ^a

Erat, inquit, in templo secretus locus, Aretæ vicinus, ubi sole Virgines stare solebant: ac reliquæ sane, populo dimisso, domum suam redibant: Maria vero in templo permanebat, atq; ab Angelo nutriebatur.

Idem asserit Pantaleon Diaconus. S. Bonauentura planius dicit: ^b De esca, quam de manu Angeli accipiebat, ipsa reficiebatur, quam vero à Pontificibus accipiebat, pauperibus erogabat. Quotidie videbatur ei Angelus loqui, & quasi charissimæ sorori, vel matri obtemperabat. Hæc ex S. Hieronymo se scribere Bonauentura fatetur. Ergo & de hac porta cœli nobis gratulari possumus, & de felici scala, per quam eo ascendere licebit.

PIÆ

^a In comp. histor.

^b In meditat. Vitæ Christi.

PIÆ CONSIDERATIO.

N E S.

1.

Apparitio hæc contigit in actu obedientiæ: Dicit enim Scriptura: *a Cum Iacob obediens parentibus peregrinatur in Syriam &c. Ecce quantam benedictionem, vt in textu sequitur, actus obedientiæ mereatur: Præter apparitionem, in qua Deum vidit innitem scalæ, etiam viam ad cœlum vidit.*

2.

Obserua S. Viri sat rigidam vitæ rationem. Ad somnum se componit, post solis occasum, & capiti lapidem supponit. Nos in lectis, & puluinaribus præsumimus participes fieri apparitionum, & extraordinariæ gratiæ Dei. Sed in visitis Sanctorum, aliam vitæ rationem, & animi dispositionem reperire est.

G

3. Angeli

a Gen. 28.

3.

Angeli per hanc scalam descendunt
in adiutorium nostrum, quia ipsis man-
datum de nobis. non fugemus eos, con-
uersemur cum illis, simus grati pro be-
neficijs, quia custodiunt nos, bona con-
silia suggerunt, & lacescant nos ad scan-
dendum hanc scalam.

4.

Demus materiam & occasionem
Angelis, vt ascendentis præsentent Deo
nostras preces, suspiria, & pia desideria;
opera quoq; misericordiæ, sicut Corne-
lij Centurionis, & senioris Tobiæ elec-
mosynas, orationes, & alia pia opera
Angeli eorum Deo præsentârunt. Ita vi-
uamus, ita inquam moriamur, vt animas
nostras per hanc cœli portam introdu-
cant, sicut anima Lazari ab Angelis in
sinum Abrahæ deportata est.

5.

Alacriter per gradus hanc scalam
ascendamus. ponamus ascensiones in corde
nostro, eamus de virtute in virtutem

a Ne-

a Neque enim ad summa repente peruenit, inquit S. Gregorius, b sed ad virtutum celsitudinem , per incrementa mens dicitur.

Pulchrum ascendendi modum S. Augustinus nos docet, per vitia , & passiones nostras. c Si vtique vnusquisque nostrum subdere eas sibi studeat , ac super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construit, quo possit ad superiora concendere. Eleubunt nos, inquit, si fuerint infra nos: de vitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus.

6.

Deum scalæ innitentem aspiciamus, vocat , lacepsit , dexteram suam ad nos extendit cooperemur , clamemus , operi manuum tuarum porrige dexteram. Beatus vir cuius est auxilium à te. Non autem vocat, & deserit. Nemo quidem eò pertingit , nisi traxerit Pater ; trahit autem si manus nostras , manibus eius

G 2 in se-

a Psal. 83. b L.2. Moral. c. 20.

c Serm. 176.

inferamus, quod fit per plenam resignationem; quando nostram voluntatem cum diuina vnimus, & nos totos ei committimus; tunc infallibiliter nos trahet, & in sinum suscipiet.

7.

Industria autem hæc adhibenda, ut dum scalam hanc ad patriam cœlestem scandimus, oculos nostros sursum leuemus, ad eum qui scalæ innititur, exemplo Dauidis, *oculi mei semper ad Dominum,*
& ipse euillet de laqueo pedes meos. Periculose est circumspicere, inferiora curiose intueri; vertiginem causat, & casum. Ad anteriora sese extendere oportet, & obliuisci eorum, quæ retro sunt, & quæ deorsum.

8.

Perseuerantia autem & constantia omnino necessaria sunt. O quam multi in via spirituali sat altè ascenderant, sed subsistentes, & retrò respicientes, terrena intuentes, miserando lapsu in abyssum deciderunt.

ORA-

ORATIO.

SAlve ò Alti Regis ianua, & porta lu-
cis fulgida, dulcissima Virgo Maria:
Tu quidem cœli fenestra facta es,
sed quis eò pertingat, nisi simul pro sca-
la te offeras? Quis mihi tribuat, vt hanc
decenter scandam? Multi gradus virtu-
tum concendendi sunt, & quidem con-
stanter; nunquam retrogredi in hac sca-
la expedit. Terret altitudo, graduum
multitudo, labor & sudor, cadendi peri-
culum. Sed tu, ò Regina cœli, scalæ mihi
videris inniti, & me amabilissimi mater-
nis nictibus ad scandendum lassificere.
Ah mitte aliquem ex descendentibus
Angelis, qui conatus meos adiuuer, vt
per calcata virtia, de virrute eam in virtu-
tem. Ecce ad te leuo oculos meos: *Sicut*
oculi ancillæ in manibus Dominae suæ, ita ocu-
li mei ad te: ascensiones pono in corde
meo, & alacri gressu scando ad te; fido
dexteræ tuz, qua me anhelantem, spero,

G. 3

appre-

apprehendes, ne patiare me in pie cœptis desistere; à lapsu custodi, per illa misericordiæ viscera, quæ portauerunt æterni Patris filium, trahe me in finum maternum, ut requiescam in sœcula. Quæ in Cœlis coronata triumphas in omnem æternitatem. Amen.

STELLA MATVTI

N. A.

II.

HÆc certa solis nuntia, eundem breui oriundum testatur. lætum astrum, toti Orbi, tenebris immerso, gratam lucem promittit. Quod de Esther Scriptura dicit, a hoc magis gloriosæ Virgini competit. Iudæis autem noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium. fulgor enim huius lucis tenebras fugauit, rebusque iam color rediit, vultu nitentis syderis, ut canit Ecclesia.

Per

a Esth. 8.

Per hanc enim homines opera Dei , & magnalia eius agnouerunt, vt ait Cyril-lus. *a* Vere ergo Maria quasi stella matutina in medio nebulæ. *b* Hanc nostram matutinam stellam vedit Abraham in tristi Limbo, & gauisus est. Vedit & Elisabeth in montanis , & exclamauit, *Vnde mihi hoc?* vt Mater Domini veniat ad me? Vedit Ioannes in vtero, & exultauit. Ecce quomodo visa hac stella Montes exultarint sicut arietes. Hæc stella lucere cœpit, quam primum Virgo Angeli verbis credidit, & voluntati Dei humillimè se tradidit. Illo temporis momento dixit Deus fiat lux , & facta est, lux, ibi orta est stella ex Iacob. S. Bernhardus, ipsa, ait, c est nobilis Stella Iacob, cuius radius vniuersum Mundum illuminat, cuius splendor præfulget in supernis , & inferos penetrat; terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quam corpora, fouet vir-

G 4 tutes.

a Orat. 6. in Nestorium.

b Eccli. 50.

c Hom. 2. super Missus.

tutes, excoquit vitia. Hæc solem iustitiae
præsentauit Simeoni, & Annæ viduæ in
templo, optatum lumen ad reuelationem
gentium.

2.

Materia cœlorum iuxta antiquos
Philosophos est incorrupta. eadem est
Stellarum, sed eo nobilior stellæ quod
capax luminis, à Sole illustretur, & nobis
appareat lucens, & ardens. Beatissima
Virgo, stella nostra matutina in ipsa im-
maculata conceptione à Sole iustitiae
singulariter illustrata, toto vitæ suæ de-
cursu, nec vi tribulatiōnum frangi, nec
labe peccati inquinari potuit.

3.

Stella quo ad figuram nobis rotunda
apparet, quæ secundum Mathematicos
figura perfecta, & capacissima est. Ita
stella nostra Matutina omnium dono-
rum cœlestium capacissima, à Gabriele
Archangelo, Aue Maria, gratia plena, sa-
lutaruntur.

4. Stel-

4.

Stella radiat, micat, allicit in sui admirationem. Ita Beatissima Virgo quem non rapit in admirationem & amorem sui? quia fecit ei magna qui potens est. Insigne orbis astrum, & plenum consolatione.

5.

Stella in tenebris fulget. Ita nostra stella matutina, in Legis antiquæ tenebris luxit, ante natum Christum, plena Deo, varijs Virtutibus luxit: cum suo dilectissimo filio inter idololatras in Ægypto, in Iudæa inter hostes & persecutores, in passione & morte eius, dum lux Apostolorum occumberet, ipsa luxit post mortem filij, in primitiua Ecclesia luxit, vnicum foliatum primorum Christianorum.

S. Bernhardus de hac re ita scribit: *a Sicut Stellæ de die latent, noctu lucent: Sic vera Virtus, sæpe in prosperis non apparel, eminent in aduersis.*

G 5

a In Cant. Serm. 27.

6. Stel-

6.

Stella, quoad situm, est altissima, &
 à terra valde remota. Ita Beatissima,
 Virgo, (vt taceam de iam assumpta, &
 coronata in cœlis,) certè ab ipsa con-
 ceptione, à prima inquam sanctificatio-
 ne, vsu rationis prædita, altissimum my-
 sterium SS. Trinitatis cognouit, &
 alia arcana, quæ oculus non vidit, nec auris
 audiuit. a Quin & in meditationibus suis
 sæpius in cœlum rapta, ad tempus, cre-
 ditur, & vidisse quæ non licet homini lo-
 qui.

7.

Stella in se magna est, parua tamen
 hominibus in terra apparet: Sic vel ipse
 Sol, à rusticis æstimatur rotæ magnitu-
 dinem non superare: Ita Beatissima Vir-
 go à Iudæis paupercula vxor fabri iudi-
 cabatur. Quis Dei Matrem, Matrem si-
 mul & Virginem, sanctitate ipsis Ange-
 lis superiorem, cœli Reginam, totius
 Orbis Patronam credidisset?

8. Stella.

à Rupert. in Cant. lib. 3.

8.

Stella licet stare videatur, cursum tam
en habet velocissimum, eumque con-
stantem. & equalibus punctis fertur, &
mouetur. Sic Beatissima Virgo non tan-
tum Cæsaris Augusti edicto paruit, vt
etiam prægnans à Nazareth in Iudeam af-
cenderet, a & se subditam cum Iosepho profi-
teretur; sed vniuersæ Legis sacrae obseruantif-
sima, ad festiuitates Hierosolymam af-
cendit; b dilectissimum filium suum cir-
cumcidi voluit, & impletis diebus purga-
tionis, eum in templo præsentauit, &
tanquam primogenitum præscripto mu-
nere redemit, & se purgandam obtu-
lit. c

Taceo qualem progressum in Vir-
tutibus, & meritis fecerit; quia post pri-
mam sanctificationem per omnes & sin-
gulos actus humanos, quos in Deum
continuò referebat, magnum augmen-
tum charitatis, gratiæ & gloriæ meruit:

G 6.

Ita

a Luc. 2.

b Exod. c. 23. & c. 34. c Leuit. 12.

Ita per sexaginta & eo amplius annos
semper incrementum sumpsit in gratia,
& meritis, adeo ut aliqui insignes Theo-
logi probabiliter asserant, Beatissimam
Virginem, plures gradus gratiæ, & cha-
ritatis esse consecutam, quam sint in
omnibus Sanctis hominibus, & Ange-
lis, etiam collectiue sumptis ; & quod
consequens est, si mente concipiamus
ex multitudine gratiarum Sanctorum
omnium, vnam intensissimam gratiam
confurgere, adhuc intensionem gratiæ
huius Virginis non adæquaret. Ecce er-
go quam hæc Stella nostra Matutina,
constantem in Virtutibus, ac meritis
cursum tenucrit.

9.

Stellæ, occulta quadam virtute, terræ
viscera penetrant, & mira operantur,
quorum causas multi Philosophi red-
dere nesciunt, sed stellis & ccelorum
occultis influentijs, quas vocant, adscri-
bunt.

Alij sagaciores, nihil se nescire pro-
fitentes

fitentes, omniumque occultarum operationum causam aliquam comminiscentes, influentiam illam, ignorantium asylum indigitant. Nos verò animo demissiore, huius nostræ Stellæ Matutinæ occultam, & admirandam operandi vim libenter fatemur, & admiramur, ad eamque, tanquam ad ignorantia nostræ asylum, libenter confugimus, gloriam dantes Deo in operibus suis, plurimumque confidentes, in fulgentissimæ huius stellæ, Beatissimæ inquam Virginis Mariæ patrocinio, & meritis, quæ sæpe in animis hominum, occultis, & nobis ignotis auxilijs mira operatur, vt taceam ea, quæ in oculos nostros incurruunt, morbos sanando ex varijs periculis eripiendo, quæ tot miraculorum volumina, tot anathematum plastra, luculentiter probant.

IO.

Stellæ dirigunt iter facientes, & maxime in mari nauigantes. Sic Stella Magos duxit, sic Maria Maris Stella voca-

tur. ita inter cœteros S. Bonauentura. ^a
*Quibus auxilijs possunt naues inter tot peri-
 cula, transire vsque ad litus patriæ? Certe per
 duo, scilicet per lignum & stellam, id est, per
 fidem crucis, & per virtutem lucis, quam pe-
 perit nobis Maria, Maris Stella.*

Notum est illud S. Bernhardi. b *Si in-
 surgant venti tentationum; si incurras scopu-
 los tribulationum, respice stellam, voca Mari-
 am: Si iactaris superbia vndis, si ambitionis, si
 detractionis, si emulacionis, respice stellam,
 voca Mariam: Si iracundiæ, aut auaritiae, aut
 carnis illecebræ nauiculam concusserit mentis,
 respice ad Mariam. &c.*

Et alio loco: c *Ipsam intuens (scilicet
 Stellam) non deuias; ipsam rogans, non despe-
 ras, ipsam cogitans non erras: ipsa protegente
 non metuis; ipsa duce non fatigaris; ipsa pro-
 pitia, ad portum peruenis.*

Et rursus alibi : d *Tolle Mariam hanc
 Maris*

a *In speculo B.V. cap. 30.*

b *Hom. 2. super Missus.*

c *Serm. 20.*

d *De Natiu. Virg.*

Maris stellam, maris vtique magni, & spacio-
si, quid nisi caligo inuoluens, & Vmbra mor-
tis, & densissimæ tenebræ relinquuntur? In
hunc sensum quædam habet S.Thomas
opusc.8.

PIÆ CONSIDERATIO- N E S.

I.

Sicut Stellæ, ratione nobilis & incor-
ruptæ materiæ, aptæ sunt, vt à Sole,
omnis luminis fonte, lumen accipi-
ant, & splendorem: ita coneris animam
tuam præparare, vt sit capax luminis
cœlestis, inspirationum, & gratiæ Dei.
Quemadmodum enim materia crassa,
impura, impolita, vt lignum, ossa, later,
& similia, etiam à Sole illuminata, non
splendent, sicut vitrum pellucidum, cry-
stallus, speculum politum, &c. Ita in ani-
mam maleuolam non ingreditur sapientia,
non illustratur lumine cœlesti, & donis
gratiæ.

2. Co-

a Sap. I.

2.

Coneris etiam fulgere virtutibus , & bonis exemplis, vt alios rapias admirationem , & vna tecum dent gloriam Deo. Illumina etiam alios doctrina , veram ad pietatem, & omne genus Virtutum viam monstra , memor illius promissionis , a qui erudiunt alios , fulgebunt tanquam stellæ , in perpetuas æternitates.

3.

Quantum distat cœlum à terra , tantum tua desideria à terrenis abstrahe. quid tibi cum luto ? de limo quidem factus es, sed inspirauit in te Deus spiraculum vitæ ; ad illum tota intentione festina , ex cuius inspiratione consistis, inquit S. Ambrosius. b celsiore loco à Deo collocatus es : quæ sursum sunt sapias , iuxta consilium Apostoli, non que super terram. Cum Deo , Angelis, & cœteris Sanctis , res tuas age, annos æternos in mente habeto.

Con-

a Daniel. 12.b In Psal. 118.

4.

Contemne sermones, & iudicia hominum, si te parium aestimant. errat aries hominum, qui stellas, ipsa terra maiores, paruas aestimant. Tantus es, quantus coram Deo es. Tibi proximum sit, ut ab homine iudiceris. a.

5.

Tene constanter cursu in tuum. Sta, & curre: Sta firmus in Lege Dei, in sancto tuo proposito; Curre autem magnis passibus de virtute in Virtutem; stare in hoc cursu, deficere est. Sic curre ut comprehendas, ut cum Apostolo dicere possis, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiae. &c.

6.

Etsi nubes intercedant, procellæ, & tenebræ ingruant, quæ te caligine aliqua inuoluant; tu tamen internum tuum lumen, à Sole iustitiae tibi communicatum,

a 1. Cor. 4.

b 2. Tim. 4.

tum, serua; confortare, & sustine Domi-
num. post nubila Phœbus.

7.

Roga hanc stellam, ut influentia qua-
dam occulta, operetur in corde tuo,
Virtutes plantet, desideria cœlestis pa-
triæ excitet, amore Dei inflammet.

a 2. Tim. 4.

O R A T I O.

O Illustre sidus, & gemina cœli, dul-
cissima Virgo Maria, cuius vita in-
clyta cunctas illustrat Ecclesias,
quæ à Sole iustitiæ tota illustrata, vni-
uerso terrarum orbi fulges, in solarium
maxime eorum, qui in tenebris, & umbra
mortis sedent. Ah illabere in tenebrico-
sum cor meum, foue potentibus radijs
tuis, operare omne bonum in eo, illumi-
na, immuta, & molle fac ad faciendas iu-
stificationes Dei mei, liquefac radijs di-
uini amoris. O Stella Maris, ô optatissi-
ma errantium, & desolatorum Cynosu-

ra,

ra, dirige cymbulam animæ meæ , varie
fluctuantem, vt horrida , & periculosa
saxa in huius Mundi tenebris cauere, &
te duce, ad securum animarum nostra-
rum portum feliciter peruenire valeam.
Quæ in cœlis coronata triumphas in
omnem æternitatem, Amen.

REGINA ANGELORVM,
PATRIARCHARVM, PROPH E-
TARVM, &c.

Ecclæsia Catholica Matrem Dei, in
canticis suis Reginam frequentif-
sime salutat. Aue Regina celorum,
Aue Domina Angelorum. Regina
cœli lætare. Salve Regina. Mater mi-
sericordiæ &c. Quam Antiphonam S.
Bernardus explicans ita scribit: *Maria*
iuste Regina Mundi, & Regina cœli dicitur,
per quam utriusque Creator, & Rector ge-
neratur. Regina, gloriæ nomen, & honoris,
magnificentia, & decoris, dulcedinis & pie-
tatis.

tatis, amoris & honorificentiae, sublimitatis,
& potentiae, gubernationis & iustitiae, defen-
sionis & gratiae.

I.

Est autem Maria , stirpe & origine
sua, Regin a, vt canit Ecclesia, a Regali ex
progenie Maria exorta resulget , ex semine
Abrae, de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid.
Quod & Angelus Gabriel confirmauit,
b Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius.

2.

Est Regin a, quia genuit Regem Re-
gum, & Dominum dominantium.

3.

Regina est Maria , tanquam regij
throni socia. Vno verbo, Aeterni Regis
filia, sponsa, parens. Hanc suam filiam
præuidit olim Dauid, quando Deo ce-
cinit: Adstitit Regin a à dextris tuis in vestitu
deaurato circumdata varietate. c Elegit eam,
& præelegit eam, in tabernaculo suo habitare
facit

a In festo Nativit. eiusdem.

b Matt. i. Luc. i.

c Psal. 44.

etis,
fen-
gine
i ex
ine
uid.
uit,
ius.

Re-
gij
gis
am
ce-
itu
m,
are
icit

facit eam. Hanc vidit Ioannes , charus dulcissimi filij discipulus , coronatam stellis duodecim. *a*

Præfigurata est hæc, per Reginam Saba, quæ ingressa est Hierusalem , cum comitatu multo, & diuinitijs, & camelis, &c. *b* Cui Rex Salomon dedit multo plura , quam attulerat ad eum. *c* Item per Betsabeæ , matrem Salomonis, cui Rex assurrexit. & in throno sedere fecit à dextris. &c. *d*

Inuitata etiam fuit tanquam sponsa ad coronationem, *e* veni de Libano sponsa mea , veni de Libano , veni coronaberis. Et quid ni coronetur tot victorijs gloriofa? Triumphavit enim de carne , non quidem reluctantando , quia per priuilegium fomes peccati extinctus erat , sed subiectam habuit, plus, quam confirmati in gratia. In alijs etiam peccatoribus innumeris carnem domuit. De Mundo

etiam

a Apoc.12. *b* 3.Reg.10.

c Para.9.

d 3.Reg.2.

e Cant.4.

etiam triumphauit , quia paupertatem elegit, & Mundi vanitatem risit. *a* Digitii eius apprehenderunt fusum. *Quæsuit lanam,*
& linum, & operata est consilio manuum suarum. Diabolum (inter quem, & Reginam hanc Deus inimicitias posuit) vel sola humilitate, qua præcelluit, struit , & cunctas hæreses sola interemit in vniuersa terra. Mortem denique confudit , quia in cineres redacta non est, sed incorrupto , & glorificato corpore cœlos ingressa est. De vniuersis porrò peccatis triumphauit, etiam leibus , sicut de ea cœlestis sponsus dixit. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Tandem etiam potestate Regina est, quia dominatur certo modo in cœlo , & in terra , ac si dimidium Regni à vero cœlesti Rege Assuero impetrasset. Christus enim , cui data est omnis potestas in cœlo , & in terra , gubernat regnum suum iustitia & misericordia ; & videtur

a Prou.21.

REGINA SS. OMNIVM. 155

videtur quidem dimidium Regni sui concessisse Matri, ut Regina Misericordiae sit, sicut Ecclesia illam salutat. hinc tam clemens & tam pia, hinc tot auxilia, & tot pietatis signa erga peccatores, ut merito dicatur auxilium Christianorum, & refugium peccatorum, quia ita Deo placuit, inquit S. Bernhardus, *nihil nisi per hanc dare.* Quod ex libro de excellentia B. Virginis cap. 6. qui B. Anselmo adscribitur, huius videtur, qui ita affirmat: *Multa petuntur à Deo, quæ non impetrantur; petuntur autem à Maria, & impetrantur.* non quod Maria Deo potentior sit, sed quia ita eam Deus honorare vult, ut homines intelligent omnia se posse per Mariam impetrare.

REGINA ANGELO-

R V M.

Peculiariter autem Regina Angelorum hic dicitur, & ab Ecclesia ita salutatur, Ave Regina cœlorum, Ave Domi-

Domina Angelorum , quia per ipsam
ruinæ Angelorum restauratæ, per ipsam
Angelorum Dominus , Orbi natus est.

Quod Ecclesia alicubi canit , Egredimini
filiæ Syon, & Videte Reginam vestram, quam
laudant astra matutina , cuius pulchritudi-
nem Sol & Luna mirantur, & iubilant om-
nes filij Dei &c. Id plerique Doctores, pio
quodam sensu , de Angelis Dei intelli-
gunt.

Certe grauissimi Auctores dicunt,
Angelis dum adhuc Viatores essent, re-
uelatum esse Dei filium incarnandum,
eisque adorandum propositum , hanc-
que causam esse damnationis lapsorum,
quod Christum , Deum & hominem,
pro Deo suo agnoscere, atque adorare
detrectarint. Qui autem adorauerunt,
& adorare consenserunt , in gratia &
gloria confirmati sunt, hi consequenter
etiam Matrem filij Dei incarnati singu-
lari cultu honorare se promptos osten-
derunt.

S. Antoninus ita ratiocinatur:

a An-

a Angeli recipiunt illuminationem, perfectionem, & beatificationem à IESV per quem omnia restaurantur in cœlo & in terra: Ergo B. Virgo, cum sit Mater IESV, causa etiam est aliquo modo gloriæ Angelorum, ut apte dicatur Mater eorum. Hinc S. Bernardus : *b* Honorate, inquit, SS. Angeli, vestri Regis Matrem, qui nostræ adoratis Virginis prolem, ipsum vtique nostrum pariter, ac vestrum Regem, nostri generis reparatorem, vestræ Ciuitatis instauratorem.

Et S. Bernhardinus, *c* merito, inquit, habent de Maria omnes cœlestes spiritus confiteri, & dicere illud 4. Reg. 10. *Serui tui sumus, quæcumque iussiris, faciemus.* Et vero quid mirum est iam in cœlis Mariam super omnes choros exaltatam ab Angelis honorari, cui feruierunt (ut alia tempora taceam) cum adhuc in Templo puella habitaret. Vide supra, Ianua Cœli.

H

Vel

a 4.p.tit.15.c.14.§.3. *b* Hom. 1. super Mis-
sus. *c* Tom. 3. Serm. 3. art. 3.

sam
sam
est.
mini
uam
udi-
om-
pio
elli-
int,
, re-
im,
nc-
im,
em,
care
nt,
a &
ter
gu-
en-

ur:
An-

Vel hoc nomine B. Virgo Angelis superior est, quod in prima sua sanctificatione maiorem, & intensiorem gratiam consecuta fuerit, quam suprema gratia sit, qua Angeli & homines consummantur. Ita S. Bernardus, ^a Petrus Damianus, & multi grauissimi Theologi. Etsi enim nondum esset mater Dei re ipsa, erat tamen iam ad hanc dignitate m̄ destinata, & à filio Dei singulariter amabatur, & sanctificabatur, tanquam persona ad se valde pertinens, utique eius Mater futura.

Meritis quoque Beatissima Virgo Angelos antecedit, teste S. Bernardino Senensi, ^b qui scribit B. Virginem actu illo fidei, & obedientiae quo Angelo Christi incarnationem annuntianti assensit, & assentiendo sese condigne disposuit, ac de congruo meruit, ut esset Mater Dei, plus meruisse, quam meruerunt omnes Angeli & Sancti, omnibus actibus suis.

Con-

^a Serm. de Natiuit. B. Marie.

^b Tom. 2. Serm. 51. art. 1. c. I.

Constat autem B. Virginem post primam gratiam acceptam illis sexaginta, & eo amplius annis, quibus post filium in terris superstes fuit, semper maiorem gratiam meruisse, & non raro duplicasse, Vnde aliqui grauissimi Theologi verisimile esse dicunt, B. Virginem consecutam esse plures gradus gratiæ, & charitatis, quam sint in omnibus Sanctis & Angelis, etiam collectiùè sumptis.

Denique ideo etiam iure Angelorum Regina dici potest, quia, ut canit Ecclesia, *exaltata est Sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia Regna*, hanc suspiciunt, & venerantur cœlestes spiritus, quia, ut inquit S. Ephrem, *a hac est sanctior Cherubim, sanctior Seraphim, & nulla comparatione, cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior.*

Et Petrus Damianus: *b Virgo, inquit, inter animas Sanctorum, & Angelorum*

H 2

chores

a De Laudib. B. Virg.

b De Assumpt.

lis su-
ifica-
tiā
gratia
man-
mia-
• Etsi
erat
nata,
& san-
valde

Virgo
dino
u illa
ncar-
itien-
o me-
quam
nibus

Con-

*choros supereminens, & exulta, merita singu-
lorum, & omnium titulos antecedit.*

Andreas Cretensis: *a O Virgo*, inquit,
*quæ excepto Deo solo, es omnibus altior. O
Sancta, & Sanctis Sanctior, & omnis sancti-
tatis sanctissime thesaure.*

S. Chrysostomus. *Virginem hanc vo-
cat incomparabiliter gloriosiorem,
quam Seraphim.* b

S. Augustinus. c *O Virgo*, inquit, *si cœ-
lum te vocem, altior es ; Si Matrem gentium
dicam, præcedis; si formam Dei appelle, dig-
na existis ; Si Dominam Angelorum vocitem,
per omnia te esse probaris. Magnum est Ange-
lo, ut minister sit Domini, sed Maria sublimi-
us quid meruit, ut sit Mater ; tantoque ex-
cellentior Angelis facta munere singulari,
quanto differentius præ ministris nomen
Matri accepit.* Bern. in Natiuitate B.
Mariæ.

*Ecce quam gloriosa dicta sint de Vir-
gine*

a De dormit. B. Virg.

b In Liturgia.

c Serm. 35. de Sanctis.

REGINA SS. OMNIUM. 161

gine hac à SS. Patribus, vt merito cum Ecclesia exclamemus Regina Angelorum ora pro nobis.

REGINA PATRIAR- CHARVM.

ET si Patriarchæ olim fuerint Viri simplices, Deo chari, multisq; Virtutibus clari, quibus cum Deus subinde per Angelos familiariter locutus est, nihil tamen ad gratias, & merita Matris Dei illis omnia sub umbra, & figura contigerunt, in hac autem Virginie, omnia completa, tempore gratiarum. Vedit Abraham diem Christi & cœteri SS. Patriarchæ, mysterium & fructum incarnationis, adhuc in limbo senserunt, & gauisi sunt, & Matrem Saluatoris, filiam ex eorum stirpe natam, pro Regina sua, summa cum laetitia & exultatione, lubentes agnouerunt. Abraham factæ sunt repromissiones, sterilis Sarra à Deo benedicta, multiplicata gentes, omnia tamen hæc terrena sapiebant. Quid si-

H 3

des:

des Abrahæ , obedientia Isaac, visio Iacob, & lucta cum Angelo, ad prærogatiuas, Virtutes, & merita, ac sanctificationem Matris Dei?

REGINA PROPHETA-

R V M.

DOnum Prophetiæ etiam Beatissimam Virginem habuisse, tum ex Cantico Magnificat, luculenter demonstrari potest, tum ex alijs reuelationibus, quas frequenter & nobilissimo quidem modo habuit. S. Augustinus, *a Istorum quinque prophetatio*, ait, scilicet Zacharie, Elisabeth, Simeonis, Annae, & Ioannis Baptiste, ex Euangelio nobis nota est, ubi & ipsa Virgo, Mater Domini, ante Ioannem prophetasse inuenitur. Rupertus vocat B. Virginem Prophetissam Prophetarum; quia & Prophetas docuit, & de ipsa omnes Prophetæ pro-

pheta-

a Lib. 17. de ciuit. Dei cap. vltimo.

b Lib. 1. in Cant.

phetarunt. Licet ergo non decuerit eius personam , populis prædicare , & futura prædicere , sicut alij Prophetæ facto , & verbo varijs prædicarunt , constat tamen eam intima arcana Dei , altiori quodam modo præuidisse , & penetrasse.

REGINA APOSTOLO-
RVM.

S. Ignatius Martyr , qui tempore B. Virginis & Apostolorum vixit , vocatus in Epistolis suis hanc Virginem nostræ Religionis Magistrum ; Item Apostolorum Magistrum , ad quam vndeque fideles consilij causa venerunt.

Et Anselmus clarè , & audacter ita scribit : *a* Licet Apostoli per reuelationem Spiritus Sancti edoceri fuerint in omnem veritatem ; incomparabiliter tamen eminenterius , ac manifestius ipsa per eum Spiritum veritatis , illius veritatis profunditatem in-

H 4

tellige-

a De excellent.B.Virg.c.7.

telligebat, & per hoc multa eis per hanc reuelabantur, quae in se, non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat. Quod ad sanctitatem attinet, iam supra ostensum est, eam meritis, & gratia Angelis esse superiorem, ergo multò magis Apostolis, in quibus etiam post acceptum Spiritum Sanctum remansit fomes peccati, & adhuc venialiter peccare potuerunt (sicut & Ioannes Baptista a quod utrumque de B. Virgine nec pie, nec vere dici potest. Hinc plerique Doctores, Deiparam Apostolici consilij Præsidem, & magnum primæ Ecclesiæ solarium, ac commune perfugium fidelium fuisse asserunt.

a Suar. Tom. 2. p. 3. disp. 24.

REGINA MARTY-

R V M.

DE S. Martino canit Ecclesia: *O sa-
cratissima anima, quam etsi gladius
persecutoris non abstulit, palmam ta-
men.*

men martyrij non amisit. Si propterea non
amisit palmam, quia paratus fuisset mori
pro Christo, quanto paratior fuit
Maria, quæ ipso tempore passionis di-
lectissimi filij stetit sub cruce, omnibus
Iudæis nota Mater, quæ millies vel pro
filio, vel yna mori paratissima fuit. Hinc
S. Ephrem eam decus Martyrum vocat:
& alij plusquam Martyrem fuisse asse-
runt.^a

Lubet inserere D. Antoninum de
hoc argumento ratiocinantem: ^b *Dati-
oni*, inquit, *animæ*, debetur aureola marty-
rij, ergo dationi pretiosissimæ animæ, & dile-
ctissimæ, debetur pretiosissima aureola Mar-
tyrij: Sed Beatissima Virgo dedit pretiosissi-
mam, & dilectissimam animam, id est, vitam
filij, ipsa enim in infinitum plus dilexit ani-
mag, id est, vitam filij, quam B. Petrus ani-
mag, id est, vitam sui ipsius: fuit etiam pre-
tiosissima vita filij, cum premium fuerit totius
Mundi; Ergo & habet pretiosissimam aureo-
lam martyrij. Alia Ratio. Dolor causatur ex

H 5

amo-

^a Orat. de Deip. Rich. b 4. p. tit. 15. c. 24. §. I.

amore, ut quanto quis plus amat, tanto plus
dolet de amissione eius: Dolor autem San-
ctorum in Martyrijs eorum, causabatur à
natura, propter separationem animæ à cor-
pore: Dolor autem B. Mariæ à natura, & gra-
tia, sed maior etiam à gratia: Sed fortior,
& perfectior est causatus à gratia, quam à
natura; Ergo improportionabiliter maior
fuit dolor eius in passione filij, quam Marty-
ris cuiusquam in sua passione. huc usque S.
Antoninus. S. Bernhard. Serim. 7. super
signum magnum: Sanctus ille senex, in-
quit, ad Mariam ait, Et tuam ipsius ani-
mam pertransibit gladius, & quidem
posteaquam Christus emisit spiritum,
ipsius plane non attigit animam crude-
lis lancea, quæ ipsius aperuit latus; sed
tuam utiq; animam pertransiuit: ipsius
nimirum anima iam ibi non erat, sed
tua planè inde nequibat auelli: Tuam
ergo pertransiuit animam vis doloris, ut
plus quam Martyrem merito prædica-
mus, in qua nimirum corporeæ sensum
passionis, excesserit compassionis affe-
ctus.

ctus. An non plus quam gladius fuit fer-
mo ille dicentis Christi ; Mulier ecce fi-
lius tuus? Quomodo nō tuam affectuo-
sissimam animam pertransiret hæc au-
ditio, quando & nostra, licet saxeа, licet
ferrea pectora sola recordatio scin-
dit?

Accedit testimonium Christi in
reuelationibus S. Brigittæ , vbi Chri-
stus Matrem alloquitur : *a Testimonium*
tibi perhibeo quod tu in passione mea plus
quam Martyr fuisti. Accedit quod do-
lor Matris admodum diuturnus fuerit,
non tantum in infantia Christi, partim
quod doleret dilectissimum filium om-
nia humana incommoda patientis suf-
ferre, partim quod iam præsciret, quan-
ta esset passurus suo tempore, ex amore
generis humani : Sed & toto reliquo
tempore , quo post passionem filij su-
peruixit , dolores illi renouati sunt,
quando loca sancta, & cruenta vestigia
toties visitauit, vt patet ex reuelationi-
bus S.Brigittæ lib.6. cap. 61. Ergo glo-
riosissi-

H 6

oplus
San-
tur à
i cor-
gra-
tior,
am à
naior
irty-
e S.
uper
, in-
ani-
dem
um,
de-
sed
sius
sed
iam
s, vt
ica-
um
ffe-
tus.

riosissima Martyr, & Regina Martyrum, Ora pro nobis.

**REGINA CONFESSORVM,
VIRGINVM, SANCTO-
RVM OMNIVM.**

EX superioribus fundamentis patet, quomodo Beatissima Virgo excedit omnium omnino Sanctorum gratiam sanctificationem, merita, & gloriam, in terris & in cœlis. Concludo ergo & exclamo cum S. Chrysostomo; *a Quid
hac Virgine sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quippiam inter creatas res visibles, aut inuisibiles maius, aut excellentius inueniri potest.*

Nulla, inquit B. Ephrem, *b* comparatione hæc Virgo omnibus superis exercitibus est gloriosior; præstantissimum orbis terra miraculum, omnium Sanctorum corona, ob fulgorem inaccessa.

PIÆ

*a Serm. de Natiuit.**b Serm. de laud. B. Virg.*

PIÆ CONSIDERATIO.
N E S.

I.

Reginā Saba cum Salomonis Au-
lam sumptuosissimam, & optimè
interim ordinatam spectasset,
ipsumque varijs de argumentis sapien-
tissimè differentem audisset, exclamauit,
*a Beati sunt serui tui Salomon, qui stant co-
ram te semper, & audiunt sapientiam tuam.*
Quanto id æquius dici posset de seruis,
& cultoribus huius Reginæ, qui ex me-
ditatione vitæ eius, excellentiarum, ac
prærogatiuarum variam hauriunt sapi-
entiam?

2.

Gloriosum est militi, sub invicto Re-
ge stipendum facere: Regis fortunam,
suam putat. Id huius Reginæ subditis
contingit. Læti seruiunt tantæ Regi-

H 7 næ, &c.

a 3, Reg. 10.

næ, & rerum securi, perire non possunt;
certi de victoria, si pugnandum sit, certi
de corona. Experientia id didicere. Plena
sunt volumina similibus historijs, & læ-
tis euentibus.

3.

Regina Esther olim populum suum
humillimis precibus liberauit, quem A-
man inuidia liuens, ad internacionem
iam designauerat: ^a Ita hæc Regina soli-
cita pro populo suo, pro salute inquam
totius Mundi, gemitibus inenarrabili-
bus ad Deum suspirat S. Augustinus
propter tot lacrymas Monicæ matris
perire non potuit, quid non solatij ha-
bere poterunt ij, pro quibus hæc Regi-
na apud Cœlestem Regem intercedit.

4.

Huius Reginæ famulos, summa decet
morum honestas, & vitæ probitas. Púl-
chras viuendi leges habent; dignoscun-
tur ab aliorum dominorum mediasti-
nis. Ergo Virginei cœtus alumni, &

alij

^a Esth. c. 7.

alij quicunque huius Reginæ singulares
cultores, omni Virtutum pulchritudine
ornati sint necesse est.

5.

Et vero quid de augustissimæ hu-
ijs Reginæ dulcissimis liberis dicam?
qui clamare audent, monstra te esse
Matrem, ausu plane heroico. Qui De-
um in cœlis patrem suum appellare au-
det, pro filio se agnosci, & haberi vult;
Ergo & Matris Dei filium se profitetur.
Multum autem est, vt huius Reginæ fi-
lij-nominemur, & simus: si filij; & hæ-
redes.

APOSTROPHE
AD PARTHENIOS
SODALES.

Tvnior Tobias laudatissimo-
rum suorum parentum, & cognati-
onis suæ, & omnisq; honestatis me-
mor,

a Tob.c.8.

mor, Saram nouam coniugem suam, ad
 orationem noctu excitans hortatur, ne
 quid contra decorum fortè agerent, hoc
 vno argumento ad persuadendum usus,
 filij quippe Sanctorum sumus. Ego verò
 aliquid amplius ausim dicere, ô Virgi-
 nei cœtus decora, singulares Deiparæ
 Virginis cultores; memores simus altissi-
 mæ nostræ profapiæ, quia filij tantæ Re-
 ginae sumus. Vultis plus dicam? nostis il-
 lud Regij Psalmis, *b* ego dixi *Dij estis vos,*
& filij excelsi omnes. Ad imaginem certè
 & similitudinem Dei creati sumus: æter-
 num nos regnum manet. Crediti sumus
 tutelæ beatissimorum illorum spirituum,
 qui semper vident faciem Patris, qui in
 cœlis est:; his mandatum de nobis, ut in
 manibus suis portent nos. Sobilem Re-
 giam indoles quoque Regia decet; nil
 nisi altum sapere; quæ sursum sunt, sape-
 re iubemur, nō quæ super terram. *a* Re-
 gnum nostrum non est de hoc mundo:

a Esca

a Tob.c.8.

b Psal.81.c Ioan.18.

b Esca & potus non est regnum Dei ; c
nec caro & sanguis regnum Dei posside-
bunt. Vixistis quidem aliquando in serui-
tute peccati, sed liberi facti estis, sed san-
ctificati estis , sed iustificati estis. d erit,
vosmet seruate Socij, quando patroci-
nante nobis Matre nostra Regina cœli,
post momentaneum hoc & leue tribu-
lationis nostræ, vocabimur ad Regnum,
quod paratum est nobis à constitutione
Mundi. e Volo Pater, inquit filius Dei;
vt vbi ego sum , illuc sit & minister meus.
Idem mihi de Regina Matre nostra per-
suasissimū habeo, vt dicat filio suo. Volo
I E s v fili mi, vt vbi ego sum, illuc sint &
mei amantes, ac feduli cultores.

a Rom. 14. b I. Cor. 15. c I. Cor. 6.

d Matth. 25.

A P O S T R O P H E A D A V-
G Y S T I S S I M A M C O E L I R E G I-
N A M.

S Alue ergo ô Regina , gaudium &
Corona Sanctorum omnium , ecce
ex hac lacrymarum valle , ad te , &
omnes.

omnes Sanctos, gestio, clamo, gemo:
Eadem regna iure quodam meo exigo.
ea parta sunt nobis pretiosissimo san-
guine dilectissimi filij tui; ijs iam fruun-
tur fratres mei, quin & ego assumor eo-
dem lytro redemptus? Magnum chaos,
dices esse, inter me, & vos. Verum id
quidem, O Augustissima Regina, sed id
ipsum gemo. Scio per te plurimos
assumptos, quia miserta es miserorum.
an non ego sat miser? Non pauca adhuc
mihi expianda esse, dices, nihil inquina-
tum ad vestram gloriam intrare. Fateor
O clemens, O pia, O dulcis Virgo: Ecce
vero in flagella paratus sum; ecce fon-
tes aquarum, quos deducunt oculi mei,
quia non custodierunt Legem Dei:
Detestor commissa, gemitus meus, &
rugitus cordis mei, à te non est abscon-
ditus. Impetrârunt alij, Publicani, &
Latrones; mihi spem non dabis? Non
frustra toto orbe Christiano salutaris,
Refugium peccatorum, Consolatrix
Affictorum, Auxilium Christiano-
rum,

rum: ecce ad te confugio, solatium, & auxilium humillimè exposco. Non frustra electa, & præelecta es à Deo, tantis dotata gratijs, & prærogatiuis, præ Angelis, & hominibus, quo nomine non tantum genus humanum, sed & vniuersa cœlestis Hierarchia te suspicit. Audio decretum esse Deo, nihil nisi per te dare: quid ergo faciam, si à te non impetrem? Negem te posse? suspicer te nolle? impius sim, & Orco dignus. Ecce pando vulnera animæ meæ; quin & tu pandis sinum misericordiæ tuæ? Deceatne me luctaritecum, vt non sinam, donec benedicas mihi? Vix' te cogam? Ignosce Potentissima Cœli Regina, mala quæ me premunt, faciunt esse impudentem. Non displicuit olim dilectissimo filio tuo, cogi à comitibus itineris, vt cum ipsis pernoctaret in Emaus; immò per parabolam suasit, etiam cœlesti Patri suo importunum esse in petendo;

pro-

a Luc. II.

propter ipsam enim improbitatem aliquando impetrari, quod petitur. Si ergo mihi liceat esse importuno, te Reginam misericordiae non dimittam, nisi benedicas mihi. Iure meo vtor. à Deo constituta es totius generis humani Patrona: Non deest officio suo Redemptor Orbis, irato Patri luculenta sua vulnera ostendit; quin tu quoque dulcissimo filio tuo, pro me supplice reo, vbera tua, & viscera materna ostendis? Nosti nihil tibi negari, nemo vñquam perijt, pro quo tu filium rogasti: Nosti desideria cordis mei, nosti quibus auxilijs maxime indigem. Eia ergo aduocata mea, vulnera mea, in uno oculorum tuorum, illos tuos misericordes oculos ad me conuerte, tuo filio me reconcilia, commenda, repræsenta; gloria tua hæc est, gaudium facies Angelis Dei, & toti curiæ cœlesti, quæ tanquam præses, & Regina cum omnibus Sanctis triumphas in omnem æternitatem.

Amen.

Ad



*Beatus venter qui te portauit et ubera
que suxisti.*

P. O. euc.



Ad Virginem Matrem, Christumque lactentem,

O Gemma cœlitum, dulcis Maria,
Quis lactet his castis tuis in vlnis?
Vellit sinum, sacrumque quærit vber?

Quām lusitat, dulcis puer, decenter,
Lætus cachinnulos edit sonantes,
Et blaſulas tentat sonare voces.

Frustrāne, Mater, vellicabit vber?
Nosti, quid aridis, quærat, labellis:
Quin haustulos præbes, diu cupitos?

Iessæa Virgo, ter quaterque salue:
Splendor Patris, dulcis puelle, salue,
Mundique spes, solatiumque Matris.

Quin osculum, figo, tenelle I E S V,
Huic corculo, pectusculoque sacro?
His artibus, genisque mollicellis?

Quin

*Quin osculum libo, charis ocellis,
 Quin frontulo, quin aureo capillo,
 Et suauiter ridentibus labellis?*

*En blanduli nictus, puelle dulcis,
 Sensim meas pertranseunt medullas;
 Pectus calet, cor occupant amores.*

*Ah cresce Mundi spes, tenelle I E S V
 His ignibus castis succende corda,
 Ut victimæ gratæ Deo clementur.*



LITA-



LITANIAE BEATÆ MARIAE VIRGINIS DEIPARÆ EX SACRA SCRIPTVRA COLLECTÆ.

KYrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.

Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.

I

San-

A-

184 LITANIAE DE B. V.

Sancta Dei genitrix, Ora pro nobis.

Sancta Virgo Virginum, Ora pro no-
bis.

Gen. 3. Mater viuentium,

Ecli. 24. Mater pulchræ dilectio-
nis,

Ibid. Mater sanctæ spei,

Gen. 2. Paradisus voluptatis,

Ibid. Lignum vitæ,

Prou. 9. Domus sapientiæ,

Gen. 28. Porta cœli,

Gen. 49. Desiderium collum
terorum,

Num. 35. Ciuitas refugij,

Esa. 26. Vrbs fortitudinis,

Prou. 10. Vena vitæ,

Prou. 30. Clypeus omnibus in te
sperantibus,

Iudith. 15. Gloria Hierusalem,

Exo. 10. Sanctuarium Dei,

Exo. 25. Tabernaculum fœderis,

Apo. 25. Tabernaculum Dei cum
hominibus,

Exo. 25. Propitiatoriū altissimi,

Altare

Ora pro nobis.

- Exo. 30. Altare Thymiamatis,
 Gen. 28. Scala Iacob,
 Exo. 28. Arca Testamenti,
 Sap. 7. Speculum sine macula,
 Exo. 4. Virga Moysis,
 Esa. 11. Virga Iesse,
 Cant. 2. Lilium inter spinas,
 Exo. 3. Rubus ardens incombus,
 Iudic. 6. Vellus Gedeonis,
 3. Reg. 10. Thronus Salomonis,
 Cant. 7. Turris eburnea,
 Cant. 4. Fauus distillans,
 Ibid. Hortus conclusus,
 Ibid. Fons signatus,
 Ibid. Puteus aquarum viuentium,
 Prou. 31. Nauis institoris de longe
 portans panem,
 Apo. 12. Mulier amicta sole,
 Eccli. 50. Stella matutina,
 Cant. 6. Aurora consurgens,
 Ibid. Pulchra vt luna,
 Ibid. Electa vt Sol,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

I 2

Castro-

Ibid. Castrorum acies ordinata,
Hier. 17. Solium gloriæ Dei,
Acunctis periculis, Libera nos Mediatrix nostra
 Per immaculatam conceptionem tuam,
 Libera nos Mediatrix nostra.
 Per sanctam natuitatem tuam, Libera
 nos Mediatrix nostra.
 Per venerabilem præsentationem tuam,
 Libera nos Mediatrix nostra.
 Per admirabilem annunciationem tuam, Libera nos Mediatrix nostra.
 Per mundissimam purificationem tuam, Libera nos Mediatrix nostra.
 Per gloriosam assumptionem tuam, Li-
 bera nos Mediatrix nostra.
 Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt veram pœnitentiam nobis im-
 petrare digneris.
Vt Ecclesiæ sanctæ , cunctoque
 populo Christiano pacem & ve-
 ram concordiam impetrare dig-
 neris,
Vt famulos tuos ad te confugien-
 tes ad

Terogamus audinos.

tes protegere & conseruare digneris,
Te rogamus audi nos.

Vt societates tibi peculiari obsequio de-
uotas conseruare & augere digneris,
Te rogamus audi nos.

Vt fidei, spei, & charitatis augmentum
nobis impetrare digneris, Te roga-
mus audi nos.

Vt mentis & corporis integrum purita-
tem nobis impetrare digneris, Te ro-
gamus audi nos.

Vt veræ humilitatis, omniumque Virtu-
tum præsidia nobis impetrare digne-
ris, Te rogamus audi nos.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem
æternam impetrare digneris, Te ro-
gamus audi nos.

MATER DEI, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata Mundi,
Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata Mundi,
Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata Mundi,
Miserere nobis.

Verf. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.

Resp. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORE M V S.

Concede nos famulos tuos quæsumus Domine Deus perpetua mentis & corporis sanitatem gaudere, & gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Christum, Dominum nostrum, Amen.

Hæ Litaniæ B. V. reperiuntur pas-
sim in pijs libellis, & à multis priuatim,
deuotè & libenter recitantur. Cum verò
ex S. Scriptura desumptæ sint, eas quo-
que mea Apis Argumentosa delibare,
& mel suum inde legere desiderat. Hoc
vnum moneo, cum quædam iam
in præcedentibus Lauretanis adumbra-
ta sint, hic merito non repeti, sed be-
neuo-

neuolum Lectorem eo remitti. Ut v.g.
Mater Viuentium, Mater pulchræ dile-
ctionis, Mater sanctæ spei, Vide in Lau-
retanis, titulo S. Dei Genitrix. De se-
quenti, S. Virgo Virginum, idem di-
cendum.

PARADISVS VOLV-
PTATIS. *a*
LIGNVM VITÆ. *b*

PAradisus erat locus amœnitate ip-
sa amœnior, varijs arboribus con-
situs eminentissimo loco, ultra me-
diam aeris regionem (iuxta Basiliū) vbi
nulla aeris intemperies: quo nec diluui-
um pertingere potuit, vt Laetantius
Firmianus opinatus est; vbi nulla ani-
malia irrationalia, nullæ maledictionum
spinæ, & tribuli, iuxta Damascenum. *c*

I 4

Eccle-

*a Gen. 2. b Ibid.**c Lib. 2. de orthofide.*

Ecclesia ergo comparat B. V. paradiso,
propter innumera germina gratiarum,
Virtutum, prærogatiuarum &c. Ita Ru-
pertus Tuitiensis, super illa verba: *a*
Emissiones tuæ Paradisus malorum pu-
nicorum &c. *Quicquid gratiarum, inquit,*
quicquid Virtutum, quicquid operationum
cœlestium, Mundus accepit, emissiones tuae
sunt &c. Sordet Paradisus terrestris,
cum hunc aspicio quod ex quadam an-
tithesi magis elucescet.

I.

In illo Paradiso non erat formatus
homo, sed ex limo foris creatus, & eò
translatus. In hoc vero nostro Paradiso
nouus Adam à Deo creatus, non ex ru-
bra terra, sed ex purissimo sanguine Vir-
ginis Mariæ.

2.

Ibi ex costa viri, plasmata mulier; hic
contrario modo, ex muliere vir proces-
sit. *a* Misit Deus filium suum, factum ex
mulie-

a Lib. 4. in Cant.

b Gal. 4.

muliere. Incarnatus est de Spiritu S. ex ex Maria Virgine, & homo factus est canit Ecclesia.

3.

Ille Paradisus dæmoni patebat ; hic autem clausus immundo Spiritui. Euam Dæmon allocutus est ; Mariam autem Archangelus Gabriel. Per Superbiam, & inobedientiam ibi cecidit Eva : hic autem per obedientiam & humilitatem exaltata est Maria. *Ecce ancilla Domini.*

4.

In illo Paradiſo Deus risit Adamum lapsum , ecce Adam factus est vnuſ ex nobis : in hoc autem (parce o æternum Numen, ex infinita bonitate , & misericordia tua id factum est) non ridet , sed gratulatur ſibi homo , dicens, Ecce Deus factus est vnuſ ex nobis , habitu inuentus ut homo , quia *Verbum caro factum est.*

I 5

Ex

a Phil. 2.

5.

Ex illo Adam eiectus est , ne de ligno
vitæ comederet , & immortalis fieret : In
hoc autem lignum vitæ proponitur , &
omnes inuitantur , vt de eo comedant,
de benedicto inquam fructu Virginis
huius . Si quis manducauerit ex hoc , vi-
uet in æternum .^a

6.

Ille paradisus custoditus est ab An-
gelo , ne denuo homo eiectus ingredia-
tur : In hunc autem inuitantur omnes :
*Transite ad me omnes , qui concupisci-
tis me , & à generationibus meis imple-
mini ,*^b

7.

Fluuius egrædiebatur de loco vo-
luptatis , ad irrigandum paradisum .^c
de quo ita Rupertus : *d Sicut in initio fons
ascendebat de terra , irrigans vniuersam su-
perficiem .*

^a Ioan. 6.^b Eccles. 24.^c Gen. 2.^d Lib. 4. in Cant.

perficiem terræ , & fluuius egrediebatur de loco voluptatis , ad irrigandum paradisum , qui inde diuiditur in quatuor capita : Sic ex te , ô Amica , ô Benedicta , fons ille ascendit , qui apud Deum erat , & in te puteum fecit , ascen- dit ad irrigandam superficiem terra , ad in- struendam , & excolendam Ecclesiam , per vni- uersum orbem terræ .

Ego quasi aquæ ductus exiui à Para-
diso , a Christus scilicet de vtero Virgi-
nis . Si quis sitit , veniat ad me , clamabat in
Templo , & Samaritanæ laudauit boni-
tatem aquæ , quam ipse daturus erat . Ad
hunc fontem anhelauit Dauid : Quem-
admodum desiderat cerutis &c. & de
plenitudine eius accipimus omnes .

Hic fluuius in quatuor alias se di-
uisit per vniuersam terram . Quatuor
illi fluuij sunt lacrymæ Christi in cunis ,
in suscitatione Lazari , super ciuitatem ,
& in cruce . Secundò , Sudor in pere-
grinationibus , & maximè in sua ago-
nia . Tertiò . Sanguis in circumcisione ,

I. 6 & alijs

a Eccli. 24.

& alijs mysterijs passionis eius. Quartò,
Aqua, quæ ex latere, vna cum sanguine:
fluxit.

PIÆ. CONSIDERATIO-

N. E. S..

INgredere anima mea hunc paradi-
sum voluptatis, admirare, fruere va-
riete florum, odorum, arborum,
fructuum. Quis non libenter pascatur
inter lilia, quæ candore virgineo Solis
nitorem superant? Illa humilitate Vir-
ginis, in qua Deus sibi complacuit? Illa
obedientia & obseruantia Legis, ac vo-
luntatis diuinæ? illo paupertatis amo-
re? illa patientia laborum, & casuum
tam tristium? illa fide supra petram
fundata? illa anchora spei? illa inextin-
guibili charitatis flamma? Quis hac va-
riete, & fragrantia virtutum non re-
creetur? Qui raperetur, vt olim Paulus,
in hunc Paradisum, & mysteria illa, tam
sublimia gustare posset, idem diceret vi-
disse.

disse quæ non liceret homini loqui.

2.

Discamus non cum serpente, sed cum Angelo colloquia miscere. ille hominem inflat, decipit, lapsum, & interitum hominis querit: Angelus autem humilitatem, obedientiam, & alias Virtutes suadet.

3.

Dole, & ingemisce, primos nostros parentes, ex illo paradyso eiectos. Causam scis, expauesce, caue. Gratulare autem tibi, ianuam, ad hunc paradisum, patere, imò nos humanissimè vltrò invitari..

4.

Pete tibi dari de ligno scientiæ, boni & mali, gusta, vt scias reprobare malum, est eligere bonum. Aperientur oculi tui, non tantum, vt videoas nuditatem tuam, peccata, defectus &c. vt inde humilieris: sed & agnosces magna mysteria fidei, vnde crescat tibi spes, & animus, desideriumque collium æternorum, astuabit

I 7

cor:

196 LITAN. EX S. SCRIPT.

cor tuum dulci amore Dei , & cœlestis
patriæ: anhelabis ad fontem aquæ viuæ.

5.

Ecce offertur tibi vtrō lignum Vitæ;
benedictus in quam fructus huius Virgi-
nis, qui de hoc gustat, non videbit mor-
tem in æternum. Gustate , & videte quo-
niam suavis est Dominus : mens imple-
tur gratia , & futuræ gloriæ nobis pignus
datur.

6.

Peculiariter autem lignum vitæ est ar-
bor Crucis, in qua salus nostra peperit.
Imitare Sponsam, dicentem , sub umbra
illius, quem desideraueram sedi, & fru-
ctus eius dulcis gutturi meo.▲

Quatuor causæ sunt, cur ad arborem
aliquam accedamus. Prima est ut aspici-
amus cum voluptate eius elegantiam, vi-
riditatem, fructus &c. Accedamus , in-
spiciamus per orationem, & pias medi-
tationes eius pulchritudinem. Ex solo
aspeçtu sanari poterimus , sicut in æni
serpentis exaltatione. Se-

a Cant.2.

Secunda. In æstu umbram eius quærimus. Si grauamus æstu cupiditatum, & onere carnis, seculique tædio &c. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis & ego reficiam vos. Quam dulce est lasso viatori sub umbra opacæ arboris conquiescere, & respirare? Aspicite in auctorem fidei & consummatorem Iesum &c. ut non fatigemini animis vestris. a

Tertia, in pluia, & grandine etiā sub arborem configimus. Sub umbra alarum tuarum protege me. Sub tuum præsidium configimus S. Dei Genitrix.

Quarta. Ut fructum decerpamus, & gustemus. Ah quot pulchr i fructus S. Crucis? Vincenti dabo edere de ligno vitiæ, quod est in paradyso Dei mei. b Perseuerantia opus est: gustarunt Apostoli dulcedinem huius fructus, gaudentes inter flagra, & opprobria, S. Andreas, Paulus, Ignatius Martyr, Laurentius &c.

ORATIONE

a Heb. 12.

b Apoc. 2.

ORATIO.

AH quam bene est animæ meæ, O dulcissima Virgo Maria, quando in hoc paradiſo voluptatis obambulo, contemplans varietatem, & sublimitatem tot gratiarum ac Virtutum, quibus Angelis ipsis præemines, spiritualibus diuitijs ac delitijs affluens. Ah admitte me indignissimum, ut pascar inter lilia tua, & fructus carpam dulcissimos, mihi tā salutares: Da mihi de ligno scientiæ boni & mali, ut agnoscam, quid proſit, quid deſit animæ meæ: aperiantur oculi mei, ut Creatoris mei voluntatem, & beneplacitum intelligam, illudque ſummo studio, & conatu perficiam. Da mihi de ligno Vitæ, benedicto inquam fructu ventris tui, ut vitam habeam, & abundantius habeam, eoque perpetuo frui poſſim. Arefcit anima mea ſicut terra ſine aqua. *¶* Quis mihi det cum ſitiente

22. Reg. 23.

sidente Dauide , non de cisterna illa in Bethleheim, sed de fonte illo viuo, qui in beatissimis tuis visceribus ortus est , & in quatuor Orbis partes, Mundum inquam vniuersum fese diuidens, eum largissime irrigauit. Audio hunc fontem in Templo clamantem, si quis sitit, veniat ad me: *et Ecce adsum*, O dulcissima Virgo, admitte me, vt de hoc fonte gustem, & reficiar, virésque meæ instaurentur. Sonet vox tua in auribus meis, confide fili, tandem mecum eris in paradiſo. Accipio spe magna, cum pœnitente latrone solatium , & glorifico te Beatissima Virgo, Quæ in cœlis coronata triumphas in omnem æternitatem, Amen.

Porta Cœli ; Vide in Lauret. Ianua Cœli. pag. 127.

DE

et Io. 7.

DESIDERIUM COLLIVM
ÆTERNORVM. a

Patriarcha Iacob, moriturus, filijs suis benedicens inter cœtera de Ioseph dixit; *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu: benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus Patrum eius, donec veniret desiderium collum æternorum.*

Prophetia fuit de desiderio terre promissionis. Item Messiae, & cœlestis patriæ. Ita Rupertus, & alij.

Ecclesia autem peculiariter B. Virginem his verbis compellat, propter desiderium Messiae, quod ipsa præ cœteris Patriarchis, & excellentiori quodam modo habuit, maximè quando S. Scripturam, & illas prophetias legit, conferens in corde suo. Qui de vita huius sanctissimæ Virginis scripserunt, asserunt ipsam miro desiderio flagrasse vindendi

a Gen. 49.

M
lijs
lo-
fi-
io-
ni-
im
'o-
ie.
gi-
si-
ris
m
p-
n-
us
e-
si-
di
dendi illam Virginem, quæ Messiam paritura esset, cui humillime seruire, unicè exoptabat. Cum vero iam ab Angelo edocta esset, ipsam à Deo ad hoc electam, & de Spiritu S. eam conceptu ram Saluatorem, proh quanto desiderio tempus partus expectauit? quam sanctis exercitijs se præparauit, ut illum debito honore exciperet eique inferuireret? Quanto cordis iubilo, ad montana festinauit, ut vel præcursori mox nascendo inferuiret? Nato autem & adulto dulcissimo filio suo, cum ex ore eius multa, de æterna beatitudine, & cœlesti patria, crebrò differentem audiaret, quis explicet, quanto desiderio ad illa, Mundo abscondita, æterna gaudia, anhelauerit? Semel amissum, quanta solicitudine, & materno affectu, per triduum inquisiuit? Crudelissima autem morte à Iudæis sublatum, & sepul chro conditum, quanta fide, & magnanima spe, eius resurrectionem expectauit? Ad cœlos denique ascendentem,
proh.

proh qualibus desiderijs , & pijs votis
succensa fuit ipsum comitandi ? Creuit
vero semper hoc desiderium, neque to-
ta vita sua, in hoc Mundo, extingui po-
tuit. An non hæc pulchra collum æter-
norum desideria?

PIÆ CONSIDERATIO-

NES.

I.

VIT salubri hoc desiderio collum
æternorum flagremus, præcedere
debet frequens lectio , & medita-
tio, de æterna patria. Sic quasi prægusta-
mus, & in odorem huius suavitatis cur-
rimus. Ignoti autem nulla cupido.

2.

Exercentur actus fidei , pulchræ di-
lectionis , & sanctæ spei, dum ad ante-
riora nos extendimus, non frustra cre-
dimus resurrectionem, & vitam æter-
nam.

3. Per:

3.

Per hoc desiderium, viles sunt omnia terrena, & facile contemnuntur: id expressit S. P. N. Ignatius, quando post contemplationem rerum cœlestium dixit; heu quam sordet terra, cum cœlum aspicio.

4.

Temperat hæc cogitatio omnes molestias, & tædia vitæ humanæ: Quia, vt Iob. c. 7. ait, dies hominis sicut dies mercenarij: seruus desiderat umbram, & mercenarius præstolatur finem operis sui. Veniet enim tempus quando requiescent à laboribus suis, & absterget Dominus omnem lacrymam ab oculis eorum.

5.

Nec tantum temperat quotidiana tædia, quæ aggrauant animam, sed etiam in summis cruciatibus solatium affert hæc cogitatio; imò contemnere facit. Ita se Iob fœdis ulceribus plenus solatus est: *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die, de terra surrecturus sum*

sum &c. a reposita est hæc spes mea in si-
nu meo. Lapi des S. Stephano dulces
fuerunt, quia vidit cœlos apertos. Sic se-
ptem fratres Machabæi , & ipsa mater,
masculum animum præ se ferentes, An-
tiochum Tyrannum confuderunt, re-
surrectionem , & futuram vitam æter-
nam ingeminantes. Sic S. Laurentius in
crate semitostus Tyrannum risit , ver-
sa & manduca. Sic SS. Virgines Apollo-
nia , & Thecla , in paratum rogum
sponte insilierunt. Sic innumeri alij SS.
Martyres , hac spe freti , enses, & ignes,
ouantes superârunt , scientes quod non
sint condignæ passiones huius temporis , ad
futuram gloriam , quæ reuelabitur in no-
bis.b

6.

Pascitur hac meditatione animus
iusti , & fit alacris ad currendam viam
mandatorum Dei; Ita Dauid: c Can-
tabiles mihi factæ sunt iustificationes
tua,

a *Iob.19.* b *Rom.8.*

c *Pal.118.*

tuæ, in loco peregrinationis meæ. Viam man-
 datorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor
 meum. Vere spes illa dilatat, cor homi-
 nis, & in cursu hoc, alacrem facit.
 fatetur idem Rex Dauid: *Inclinaui cor*
meum ad faciendas iustificationes tuas in æ-
ternum, propter retributionem. Imò adeò
 inardescit animus, vt ex huius vitæ
 ergastulo sæpe euolare gestiat, & ad
 Deum clamet: *Heu mihi, quia incola-*
tus meus prolongatus est: Quis dabit mihi
pennas sicut columba, & volabo, &
requiescam. *Quam dilecta tabernacula tua*
Domine Virtutum, concupiscit, & deficit
anima mea in atria Domini. Cupio dissolui, &
esse cum Christo. Sicut sagitta in manu poten-
tis, ita anima tali desiderio æstuans; ad
scopum suum, ad quem creata est, euo-
lare cupit. Audi piè gementem Petrum
 Dainiani: *b Ad cœlestis vitæ fontem mens*
situit arida: Claustra carnis præsto frangi,
clausa querit anima: gliscit, ambit, elu-
statut,

a Psal. 54.

b Med. S. Aug. c. 26.

ctatur, exul frui patria. Idem canit Philomela S. Bonaventuræ. Idem S. Bernh. in suo Iubilo. Idem S. Augustinus in Manuali c.7.8.& vltimo.

7.

Etsi aliqui sanguine, & stirpe nobiles sint, si tamen nihil ingenuum, & magnanimum præ se ferant, ignavi, & degeneres habentur, & indigni suorum maiorum prosapia: Ita aliqui nomine dunt taxat Christiani, indigni quos tellus ferat, viuunt tanquam debitores carni, & sanguini, nescientes, ad quid nati sint, quem Patrem in cœlis habeant, nihil de alia vita solliciti, malæ bestiæ, ventres pigris, animales, spiritum non habentes, ut Apostoli loquuntur. *a* Hi in aduersis pusillanimes, in prosperis ad omne malum proni, in periculo statu viuunt; hos hortatur Apostolus, ut quæ sursum sunt quærant, ubi Christus est, ad dexteram Dei sedens, quæ sursum sunt sapient, non quæ super terram.

8. Qui

a Ad Tit. I. Epistola Iude.

Qui autem vere desiderare vult bona cœlestia , & totis viribus anhelare ad illam patriam , debet gaudere bono conscientiæ testimonio , vt cum Apostolo dicere possit, *bonum certamen certavi, consummavi, de reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi in illo die iustus iudex &c.* Non potest autem vero desiderio anhelare ad patriam , qui facinus patrauit, & exulare iussus est, & pœnam timet, si redeat. Non multum desiderat filius reus, faciem irati patris. Flagrauit quidem desiderio patriæ , filius prodigus , & optabat saturari panibus mercenariorum, in domo patris sui, verum non ex virtute, sed ex necessitate, & fame urgente. hi ducuntur spiritu servitutis in timore. Gaudium autem nostrum hoc est, testimonium conscientiæ nostræ, hic murus aheneus esto, nil conscire sibi. a quando ipse spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filij Dei: si filij , & heredes.

K

hi vi-

a Rom. 4.

hi viuunt semper gaudentes, in conspe-
ctu Dei ambulantes, ad anteriora sem-
per sese extendunt, & contemptis omni-
bus rebus caducis, annos æternos in
mente habent, spe pleni, Dei, & rerum
cœlestium amore succensi.

ORATIO.

OVnicum, post Deum, cordis mei
solatium, Præses, & Regina cœli-
tum, dulcissima Virgo Maria: Ad
te omne desiderium meum extendo.
Video te in gloria coronataim, & super
omnes Angelorum choros exaltatam.
Video te stipatam tot millibus trium-
phantium in cœlesti curia, Electorum
Dei, ex quibus plurimi per te id adepti
sunt, vt nunc securi Deo suo æternum
fruantur. Quis mihi tribuat, vt huic ci-
tharifantium choro inserar? Ah dulcissi-
ma omnium desolatorum Patrona,
ante te omne desiderium meum, & gemitus
meus, à te, non est absconditus, Aspice
exulem

exulem filium Euæ, ad te gementem, &
 flentem in hac lacrymarum valle. Quid
 mihi cum his tenebris? ad lucem natus
 sum: simus, & limus commune mihi cum
 bestijs pabulum præbeat? his ego sili-
 quis, inter porcos, tot annis pascar? Illa
 nobilior pars mei, cœlestis inquam par-
 ticula auræ ad imaginem & similitudi-
 nem Dei creata, cum bestijs commune
 habeat solatum? Me ne secuin humo
 affigat fuluum metallum? Me ne de-
 mendent fallaces recreations Mundanæ,
 quæ aut turpes sunt, aut vanæ? Non
 ita. Iure meo his celsiora exigo: ipse Spi-
 ritus adoptionis filiorum Dei, mihi di-
 cit, quia patrem habeo in cœlis. Fratres
 meos Regno potiri video. Si culpa
 mea, gratia excidi, pienissimam quo-
 que in cœlis Matrem habeo, illa, ut uni-
 cè spero, iratum patrem flectet & me
 in pristinam gratiam reponet. Scio re-
 gnum Dei vim pati; Scio tamen etiam
 amissum ob crimen, lacrymis, & poeni-
 tentia

inspe-
 sem-
 mni-
 os in-
 erum

 is mei
 cœli-
 ia: Ad
 endo,
 super-
 catam.
 rium-
 orum
 adepti
 ernal-
 uic ci-
 alcissi-
 trona,
 remittit
 Aspice
 xulem

tentia recuperatum; Scio ô Domina, &
 Patrona mea, tuo materno amore, &
 pio affectu, precibus inquam & meritis
 tuis, plurimis hoc esse impetratum. In te
 ergo omnem spem meam colloco, & me
 humillime, atque amantissime intra vis-
 cera misericordiae tuæ abscondo. Vale
 ergo putris gleba, celum mihi patria est,
 hæc requies mea in secula, ad te toto
 corde meo scando, ea quæ sursum sunt
 quæro, vbi Christus est ad dexteram
 Dei sedens; ad parata iustis gaudia om-
 nibus animæ meæ viribus me extendo:
a Meditetur interim hoc gaudium mens mea;
loquatur inde lingua mea; amet illud cor me-
um; sermocinetur os meum; Esuriat illud ani-
ma mea: desideret illud tota substantia mea,
donec intrem in gaudium Domini mei, ibi
mansurus in secula. Sic tu me adiuua, ô
Gloriosissima Cœli Regina, quæ in cœ-
lis coronata triumphas in omnem
æternitatem, Amen.

CIVI

a S. August. Manual. cap. vlt.

CIVITAS REFVGII. *a.*
VRBS FORTITVDI-
NIS. *b*

REFVGIVM PECCA-
TORVM. *c*

Intra alia antiquæ misericordiæ Dei signa, qua populum suum in Veteri Lege suauiter dirigebat, hoc non infimum fuit, quod ex mera bonitate rectis corde cauerit, ut si quis forte casu, & errore aliquo, imprudens alterum occidisset, perfugium haberet in aliqua ex sex Ciuitatibus, ad hoc nominatis, *d* ubi secure viuere possit, nullique liceret cædem vindicare, vel hoc nomine reum ad tribunal rapere.

In noua quoque Lege, & tempore gratiæ, similiter hominibus aliquo sce-

K 3 lere

a Num. 35.

b Esa. 26. *c* Prou. 10,

d Num. 35.

lere obstrictis, securum Deus perfugij locum concessit, vnde non liceret hosti humani generis, talem reum statim ad iusti Iudicis tribunal villa vi rapere. Et hoc est patrocinium Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ: Hanc Ecclesia ita veneratur, & salutat, Ciuitas refugij, ora pro nobis.

Ita eam salutat B. Ephrem: *a Aue, inquit, peccatorum refugium, & hospitium: Aue refugium in Hierosolymis, ad quam nimurum refugere possunt peccatores; & ij qui in S. Ecclesia, per Hierosolymam sanctificatae degunt.*

Damascenus sepulchrum B. Virginis appellat Ciuitatem refugij, quo omnibus peccatoribus confugere liceat. *b*

Andreas Cretensis, *c* *Gaude, inquit, diuinum inter Deum atque homines reconciliationis perfugium.*

Et verò piè, aptèque Ciuitati Refugij, & quidem Hierosolymæ comparatur.

a Serm. de laud. Deip. b Orat. 2. de dormit. B. Virginis. c Orat. de Annun.

etur. Memoriam subit vaticinium illud Esaiæ, quando Sennacherib Rex Assyriorum Hierosolymam deuastare conabatur, tum Rege Ezechia, pro populo, & Ciuitate in Templo Domini orante, Esaias Propheta ita Regem solitus est: *Hæc dicit Dominus; a Non ingredietur Vrbem hanc, nec mittet in eam sagittam; protegam urbem hanc propter me, & propter David seruum meum.*

Sanè hanc nostram sanctam Ciuitatem ita Deus custodiuit, ut Regem Assyriorum (Dæmonem) ab ingressu prohibuerit, ne ullo modo eam peccati labore inquinaret; sed nec passus sit, ut vel sagittam venialis peccati, imo nec originalis in eam iaceret. Et hoc propter se, & propter figuratum Dauidem (Christum) qui habitauit in ea.

^a Hæc verè est Vrbs fortitudinis nostræ Syon: Saluator positus erat in ea: ^b Murus, & antemurale. Iosephus de

K 4

bello.

^a 4.Reg.19.^b Esæ.2.6.

bello Iudaico Hierosolymam scribit tribus muris fuisse cinctam. & ita hæc tribus gratiarum, & prærogatiuarum propugnaculis, contra tria genera peccatorum, Originale, Veniale, & mortale. Confortauit Dominus feras portarum eius, neque Inferi hactenus contra eam vllis machinis præualere potuerunt; quia posuit Deus fines eius pacem, & benedixit filijs eius.

Ad hanc verò non tantum ijs confusere licet, qui ignoranter & præter voluntatem, homicidium commiserunt, sed indifferenter omnibus mortalibus, quantumuis grauissimorum scelerum fibi conscij sint. Omnes alienigenæ, & Tyrrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Fluminis impetus lætificat hanc Ciuitatem, fluuius inquam omnium gratiarum, & prærogatiuarum. Vere glorioſa dicta sunt de te, Ciuitas Dei.

PIÆ

a 4, Lib. 6. c. 6

PIÆ CONSIDERATIO-
NES.

I.

Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde. Non tanti videtur æstimare Deus, quæ ex fragilitate, ignorantia, errore, aut casu aliquo, committimus. Patet in homicidio inuoluntario: His perfugium aliquid permisit Deus. Vult agnosci Rex, non Tyrannus: Pater, non Vitricus hoc nomine ex omnibus viribus nostris diligendus.

2.

Requirit tamen Deus, quasi per modum pœnitentiæ, ut reus limites Ciuitatis refugij non excedat, sed illo loco sese contineat: alioqui occidi poterat reus ab aduersario, si extra ciuitatem repertus fuisset. itaque carcerem condonat, Arrestum statuit. Ita Semei post gratiam à Davide factam à Salomone morti adiudicatus fuit,

K 5

a quod

tri-
tri-
ro-
to-
ale.
um
eam
quia
ne-
fu-
vo-
int,
us,
umTy-
llic.
Ci-
ra-

IÆ

a quod ex inobedientia , vel contemptu, pre-scriptos ei limites excessisset. Peccator qui sub pallium gratiæ B. Virginis confugit, tamdiu tutus est, quamdiu se humiliter sub eo continet.

3.

Neque verò diu peccatori expertandum , sed maturanda fuga in hanc Ciuitatem : quia aduersarius, tanquam leo rugiens circuit, quærens, ut eum deuoret.

4.

Qui autem ad hanc Ciuitatem confugit , tam benè moratam , & tam pulchris legibus florente, debet decenter, & conformiter illis legibus viuere. Non decet exulem libere in Ciuitatis leges peccare, alioqui in periculo est, ne ejicitur. Caue ne abutaris Patrocinio B. Virginis.

5.

Post obitum Sacerdotis Magni , qui oleo sancto vñctus erat , licebat impunè re-

a 3. Reg. 2.

ne redire ad propria. Post mortem Christi Redemptoris nostri , propter infinita eius merita , liberi facti sumus , & manemus , modo nos nouo scelere non inquinemus: alioqui semper necesse erit ad asylum hoc configere. Crebra autem iteratio criminis , & crebra fuga, notam non paruam , iustam indignationem Patronæ , & pericula credant.

6.

Ingenui & prudentes , semel à periculo mortis exempti , cautiiores sunt , causam infortunij inquirunt , cauent , & cum Job omnia opera sua verentur , ne in pristinum malum incurvant.

7.

Valde utile , & laudabile est , vt in omnibus actionibus nostris bonam intentionem habeamus , & probatum scopum nobis præfigamus , vt constet Deo simplicitas cordis nostri. Quæ enim non ex malitia , sed ex impruden-

tia, & præter voluntatem delinquimus,
facilius Deus condonat.

ORATIO.

O Commune asylum, & refugium
peccatorum, Vrbs fortitudinis
nostræ, gloriofissima Virgo Ma-
ria; Ego afflictissimus reus, de varijs, ijs-
que grauissimis criminibus mihi con-
scius, quem iusta Dei vindicta, ad sup-
plicium quærit, sub tuum præsidium
confugio: Ah lateam securus sub tuæ
pallio gratiæ, tot priuilegijs à Rege Re-
gum dotato. Admitte me inter ciues,
inter filios inquam tuos, quibus bene-
dixit Dominus. De admissis parce,
spondeo emendationem. Ne memi-
neris ingratitudinis meæ, & extremæ
inconstantiæ, qui toties ad te configi,
& rursus profugi, antiquis vel etiam
nouis me sceleribus inquinans; ex ma-
nibus inimici toties elapsus, denuo an-
helus

helus & supplex ad te confugio. Stat
animo posthac tuis me limitibus con-
tinere; Fac ut inter ciues tuos securus
viuam, & hostes meos , ac meritas pœ-
nas effugiam , donec aliquando ad pa-
triam, vnde exulo, redire liceat, & dul-
cissimæ libertati restituar , eaque æter-
num fruar , te patrocinante Regina-
mea. Quæ in cœlis coronata trium-
phas in omnem æ-
ternitatem , A-
men.

K 7

V E

VENA VITÆ. *a*
 FONS SIGNATVS. *b*
 PUTEVS AQVARVM VI-
 VENTIVM. *c*

IN hortis recreationem augent fons
 tes: sicubi haberi possunt, vel salien-
 tes, per aquæ ductum deriuati, vel
 sponte ex rupibus manantes, vel scatu-
 rientes, vel denique putei effossi vnde
 aqua hauriri possit ad bibendum, lauan-
 dum, rigandum, & varios tandem horti-
 vius. Omnibus his comparatur B. Virgo.
 S. Bernardus integrum sermonem scri-
 psit de aquæ ductu in Natiuitate B. Ma-
 riæ, & tandem ait; *Aduertistis ni fallor,*
quem velim dicere Aqueductum: nostis enim
cui dictum sit, Ave gratia plena, &c. Vena
illa cœlestis descendit per aquæ ductum, ut ac-
cipient cœteri de plenitudine, sed non plenitu-
dinem ipsam.

Ruper-

a Pro. IO.

b Cant. 4. c Ibid.

Rupertus cum B. Virginem compa-
rasset illi fonti , a qui in Paradiso ascen-
debat & irrigabat vniuersam terram, ita
ait: *Sic ex te ô Amica, ô Benedicta fons ille as-
cendit, qui apud Deum erat, & in te puteum
fecit: ascendit ad irrigandam & instruendam
& excolendam Ecclesiam per vniuersum or-
bem terre.*

Meritò dicere potuit Maria illud Ec-
clesiaſtæ: b *Sicut aqueductus exiui de Para-
diso, dixi, rigabo hortum meum plantatio-
num, & inebriabo prati mei fructum.*

Ita Hailgrimus Cardinalis:c *Maria per
inscrutabilem profunditatem gratiarum,
quaæ in ipsa congestæ sunt, dicitur puteus a-
quarum viuentium, hoc est, salientium in
vitam æternam.*

Hic fons , ait Gulielmus , d effundit
Angelis & hominibus participationem , pro-
capitu singulorum. Angelis quidem torren-
tum.

a Lib. 4. in Cant.

b Eccli. 24.

c In. 4. Cant.

d Ibid.

tem voluptatis, hominibus in hac peregrinatione riuiulos sanctitatis, & sanitatis.

Et hic quidem præstans noster fons est, sed signatus, non quidem ut ipsius aqua priuemur, quia iugiter fluit, & liberaliter sese omnibus communicat, clausus autem & signatus Tartareo serpenti, qui nunquam hunc fontem insicere potuit.

Præterea fons est Maria, quia genitrix, signatus autem, quia incorrupta. Ita S. Hieronymus. ^a Quod clausum est atque signatum, similitudinem habet Matris Domini, Matris, & Virginis. Hailgrimus ait, non decuit Verbum nasci, nisi de Matre Virgine, ideo Signatus fons. Item Guilelmus. Signatus, inquit, fons sigillo Virginitatis perpetuae, habente imaginem sponsi cœlestis, ex impressione annuli eius. hinc pia illa anima (S. Agnes) annulo, inquit, suo subarrhauit me Dominus meus IESVS CHRISTVS. Nempe tunc sigillum Virginitatis imagine sponsi insignitur,

^a Lib. I. aduersus Iouinian.

nitur, cum annulo amoris eius imprimitur, & tamdiu sponsi seruat imaginem, quamdiu Virginitas Sponso custoditur.

Est ergo Maria puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de libano; aliunde ortum habent a Quoniam apud te est fons vitæ, clamat Dauid: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* b in cœlis ergo origo. Ego Sapientia effudi flumina. c Affirmat Ioan. in Apocalypsi 7. quod in cœlis Agnus, qui in medio throni est, deducet iustos ad vitæ fontes. Et filius Dei in templo clamat, *Si quis sitit, veniat ad me,* & bibat. d *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* De Spiritu sancto autem canit Ecclesia, Fons viuus, ignis, charitas, Maria autem canalis est, plenus gratia, per quam Deus effundit se, & toti Mundo sese liberalissimè communica. e Ergo omnes sitiens venite ad has aquas.

a Cant. 4. b Psal. 35, & 41.

c Eccli. 24.

d Ioan. 7. e Esæ. 55.

224 LIT. EX S. SCRIPT.

aquas, quæ saliunt in vitam æternam, hoc
est desideria excitantur collum æternorum.
Fontes per canales deducti ascendere
possunt ad illam usque altitudinem, ubi
originem habent: Quia ergo hæc aqua
in cœlis originem habet, eò etiam pon-
dere suo eleuat bibentes ex ea. Ergo qui
sicut veniat, & qui vult accipiet aquam vita
gratis. b

a Ioan. 4.

b Apoc. 22.

PIÆ CONSIDERATIO-
NES.

E.

DE hoc fonte hortorum, & puteo
a quarum viuentium, gratulatur
sibi Ecclesia. Nullus sitibundus
excusationem prætexere potest. Audi-
tur vox clamantis: a Omnes sitientes, ve-
nire ad aquas. Et gratis quidem offertur.

a Vndi-

a Esa. 55.

a Vndique erumpit hic fons, & scaturit, indi-
cans copiam, & liberalitatem.

2.

Animaduerto autem sittentes inui-
tari. Qui non sitit, & non audè cupit,
de hoc fonte bibere, non est aptus reg-
no Dei, implicite contemptus videtur.
Qui enim ea, quæ gratis offeruntur,
non acceptat, quasi contemnere cen-
setur. Sitimus aliquando noxiè, & bibi-
mus ex paludibus, & cœnōsis lacunis,
neglecto fonte aquæ viuæ, magno no-
stro dainno.

3.

Ex canali deriuatur aqua ad varia lo-
ca in hortis, & pratis, sed non sine aliquo
conatu & labore. Fodiendum est, sulci-
ducendi, hos aqua sequitur. Itaque &
preces, & Virtutum exercitia adhiben-
da, ut aliquid gratiarum ex hoc fonte
auferamus.

4. Accur-

2 Apoc. 12.

4.

Accurrit sitibundus, & æstuans, refrigeret sc, licet. Accedat sordidus, & lauet se. accedant infirmi, & hauriant salutem, nam & medicinales sunt hæ aquæ. Superfluit fons, & ad varios usus se liberalissime offert.

5.

Si seruus Abraham ad fontem aquæ dubius stans, a omen bonæ mentis, & humanitatis, & liberalitatis sumpsit ex eo, si aliqua puella aquam inde auferens, libenter, ei petenti, haustum præbeat, & vltro etiam pro Camelis eius offerat, (quod Rebecca tunc fecit, puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita viro) quantam opinionem summæ benignitatis, & liberalitatis nos habere decet, de hac nostra Rebecca, quæ omnibus indiscriminatim, de plenitudine sua, offert aquam viuam, clamans & inuitans omnes !

6. Ad.

a Gen. 24.

6.

Ad preces & benedictionem Elisei
oleum pauperculæ illius viduæ multi-
plicatum est, & iugiter fluxit, quamdiu
vasa vacua substituit. Quis verò dubitet
hunc canalem ab ipso Deo benedi-
ctum, perenni aqua completurum o-
mnia pia vota, & desideria, quotcunque
ei proponemus, & quascunque tandem
gratias ab ea petamus? Et fortassis my-
sterio non caret, quod vidua illa ex
mandato Elisei, clauso ostio oleum col-
ligere debebat. Decet etiam nos in silen-
tio, & magna animi quiete, colle-

ctisque sensibus nostris
hac vena vitæ
frui.

ORA-

ORATIO.

Opissima Virgo Maria , ecce anima
 mea sicut terra, sine aqua tibi: ad fon-
 tem aquæ viuæ anhelo ; quia aruit
 tanquam testa virtus mea. O si cum Moysè
 petram virga percutere, & aquam elice-
 reliceret. Non est tibi cor laxeum dul-
 cissima Virgo , noui viscera materna,
 molliora sunt, & ad dandum prona. Ec-
 ce cum Agno illo scalpo , & fodico cor-
 tuum, de sub cuius pede fons viuus ma-
 nabat ad preces famuli tui Clementis. *&*
 Audio Moysen & Aaronem humi stratos, cla-
 mantes, Domine Deus , audi clamorem populi
 huus, & aperi eis thesaurum tuum aque vitæ:
 His ipsis verbis ad te clamo, O clemens,
 & pia; fons signatus es fateor, non tamen
 ita clausus, qui instar summi boni in tu-
 os saltem liberalissimè te effundas. Me-
 mini te olim à dilectissimo Filio tuo e-
 gentibus vinum impetrasse; Ecce, non
 vinum

a Num. 20.

vinum ego, sed aquam humillimè peto,
non de cisterna illa Bethleemita , de
qua Rex Dauid se refocillare cupiebat,
sed de fonte aquæ viuæ , cuius tu canalis
es: Ah deriuia in cor meum aquas salien-
tes in vitam æternam: impetra mihi irri-
guum superius & inferius, ut ros , & im-
ber cœlitus terram cordis mei fœcun-
dent, & riui hortum animæ meæ transfe-
ant de fontibus Saluatoris. Quæ in cœlis
coronata triumphas in omnem æterni-
tatem, Amen.

CLYPEVS OMNIBVS IN TE
S PERANTIBVS.

Vide in Lauretanis. Tit. Turris Dau-
dica. fol. 85.

GLORIA HIERVSA-
LEM.

Illa Iudith in multis ymbra fuit no-
stræ
a Iudith. 15.

stræ Patronæ; & vere umbra, si virtutes
& prærogatiwas spectemus: quia quan-
tum ipsum corpus umbram superat,
tantum & sine comparatione Maria ex-
cellit.

1.

Casta fuit vidua Iudith, sed quid hæc
castimonia ad aureolam virginitatis?
Maria Virgo fuit, & quidem Virgo sin-
gularis, Virgo Virginum, ab ipsa imma-
culata conceptione.

2.

Iudith clausa mansit cum ancillis suis
in secreto cubiculo, orans, & iejunans:
Maria in ipso templo, & separato virgi-
num loco, orationi, seruitijs Templi, &
lectioni S. Scripturæ vacabat, & cum An-
gelis sermocinatio eius.

3.

Illa sacerdotes docuit Deo fidere,
indignabunda increpauit illos, quod
terminum quinque dierum Deo præ-
scripsissent: Hæc ipsis Apostolis sola-
tio, & exemplo fuit: in fide semper
constans

constans permansit usque ad resurrectionem filij; & post ascensionem Christi , commune refugium omnium fuit.

4.

Illa caput Holofernis abscidit, Legati tantum & Ducis exercitus, & hæc iuxta prophetiam caput contriuit hostis non tantum populi Israelitici , sed totius generis humani, Principis huius Mundi.

5.

Illa solam ciuitatem Bethuliam à varijs periculis liberauit ; hæc gignendo Redemptorem nostrum , totum mundum à seruitute peccati liberum fecit.

6.

Illam sacerdotes , & populus vniuersitatis laudarunt, & varijs honoribus affecerunt; hanctota Ecclesia, per totum terrarum orbem diffusa veneratur , iuxta proprium eius yaticinium,

L

Ecce

a Gen. 3.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent , omnes generationes. Quin & Angeli , & tota curia cœlestis hanc suspiciunt , & venerantur.

7.

Illi populus , ciues , vnius ciuitatis, aurum , gemmas , & varia dona dederunt. Hæc amicta Sole , & Luna sub pedibus eius. De hac Deo psallit Propheta: *a Adstitit Reginæ à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. A sanctissima Trinitate in cœlis coronata , Salve Regina,Aue Regina cœlorum , Regina Sanctorum omnium totum per orbem terrarum salutatur.*

8.

Illa canticum peculiare Deo pro gratiarum actione cecinit: Hæc nostra tympanistria similiter & sine comparatione elegantius Canticum cecinit , plenum mysterijs, & sacris vaticinijs.

9.

Dicim victoriæ huius , Iudæi annuē cele-

Psal. 44.

celebrant: Nostræ autem Iudith plures per annum festiuitates institutæ, supremus secundum Deum cultus hyperduliae decretus, aræ, templa eriguntur, Litaniæ, Rosaria, & aliæ peculiares preces quotidie, summa animi deuotione perfoluuntur.

An non ergo nostræ Iudith illud potius Elogium conueniat? Tu gloria Hierusalem (cœlestis) Tu lætitia iustorum omnium, Tu honorificentia populi Christiani.

S. Ambrosius huius viduæ fortitudinem admiratur: *a* Primus, inquit, triumphus Iudith fuit, quod integrum pudorem de tabernaculo hostis reuexit: Secundus quod fœmina de viro reportauit victoriam, fugauit populos consilio suo. Non expiauit mortis periculum, sed nec pudoris, quod est gravius bonis fœminis; non vniuersum carnificis, sed nec totius exercitus tela trepidauit. Maluit, inquit, pro omnibus

L 2

bus

a Off. lib. 3. c. 13.

mnes
tota
ene-

ratis,
lede-
o pe-
phe-
estitu
tissi-
alue
rgina
bem

gra-
tym-
ione
num

inuè
cele-

bus periclitari , vt omnes eximeret periculo. Sic ille. Magna certè charitas, prudentia, fortitudo elucet.

PIÆ CONSIDERATIO-

N E S.

Occasione huius viduæ , circa totam illam historiam quædam digna considératione occurruunt.

I.

Superbia semper Deo inimica est. hāc odit, & punit. Nimio quodam fastu elatus Holofernes , indigne ferebat Iudeos se ad defensionem comparare , & non statim ei obuiam procedere , & rogare ea, quæ pacis sunt. ideo extrema minatur , & suos Duces ad ferociam incitat. Sed humiliatur per fœminam, quæ ei superbam ceruicem imbecilli manu amputat. Hoc in Deo etiam animaduertit humilima nostra Iudith , quæ ita canit;

Dispersit

peri-
pru-
Dispersit superbos mente cordis sui: Deposuit
potentes de sed: & exaltauit humiles.

I O-
ca to-
n dig-
a est.
fastu
at Iu-
e, &
& ro-
a mi-
inci-
quæ ei
a am-
uerit
canit;
persit
Erubuit fortis miles Abimelech , a cerebrum ei à muliere fragmine molæ clisum, idque turpe ducens, ab armigerō suo occidi voluit, qui viuere amplius non poterat.

Sic à Debora prophetissa, Sisara princeps exercitus Iahin Regis Chanaan , b clauo tempora transfixus, inglorius occubuit. Taceo alia similia. Humiliamini ergo omnes fastu tumentes, sub potenti manu Dei, qui aufert Spiritum principum. c Deus superbis resistit , humilibus autem dat gratiam.

2.

Sicut Holofernes aquæ ductus & canales recidit , vt ciuitatem Bethuliam premeret, & necessario aquæ usu priuaret: Ita communis hostis noster conatur nobis adimere fontes gratiarum, & maxime patrocinium B. Virginis, quæ canalis.

L 3

a Iudic. 9.

b Iud. 4. c Iac. 4. Propterea.

236 LIT. EX S. SCRIPT.

nalis est omnium gratiarum , & puteus
aquarum viuentium. Rogemus Domi-
num vt iugiter nobis fluat hæc vena.v.i-
tæ.

3.

Notandum dictum hominis Ethnici Achior, qui ex sola historia Iudæorum, quam legerat, animaduertit quomodo Deus suum populum regeret. Ita ergo Holoferni sapienter suadet:
*a Per quire mi-
Domine, si est aliqua iniquitas eorum in con-
spectu Dei eorum, quoniam tradens tradet illos.
&c. Si verò non est offendio populi huius:
coram Deo suo , b non poterimus re-
sistere illis ; quoniam Deus eorum defendet
illos &c. Hoc & toti communitati in-
ter Christianos notandum , & cuiuis in
particulari. Plena est historia sacra exem-
plis.*

4.

Ecce vt Veritas plerumque odium
pariat: Propter veritatem dictam Achi-
or ni-

*a Cap. 5. b Ecce fructum lectionis sacræ
historiæ,*

or nimum potentiam veri Dei exagge-
rans, cui nemo resistere possit , abripi-
tur, ligatur , hosti traditur, vt ciuitate
capta exquisito suppicio afficiatur.
Sed ecce bonitatem & prouidentiam
Dei. hic homo gentilis cernens caput
Holofernīs , miraculosa victoria com-
motus, in verum Deum credit, & Legem
Iudæorum acceptat.

5.

Filiij Israel vt viderunt multitudinem
illorum, prostrauerunt se super terram,
mittentes cinerem super capita sua, vna-
nimes orantes &c. a Et assumpserunt ar-
ma bellica &c. Ecce quid in publicis ne-
cessitatibus, & priuatis , faciendum. Pri-
mo Deus in auxilium vocandus: deinde
nostrī conatus adhibendi. Initio quan-
do exiuit Judith orauit , & quando
iam iectum intentabat : *Confirmā me
Domine Deus in hac hora cap. 13.* Et percussit
&c.

L 4

6. Iu-

a Cap. 7.

6.

Judith licet instinctum à Deo habuerit ad magnum facinus pro populo suo patrandum, tamen feruenti ad Deum oratione, ieunijs, cilicio se armauit: ita in rebus arduis faciendum, in causa quantumuis & qua semper auxilium Dei implorandum, nunquam nobis solis nimium fidendum.

7.

Viuit ipse Dominus, inquit Judith, quoniam custodivit me Angelus eius, & hinc cuntem, & ibi commorantein, & inde huc reverteretur, & non permisit me Dominus ancillam suam coquinari &c. a Miraculum fuit feminam tam speciosam, tam pretiose cultam, à militibus qui eam comprehenderunt, nec spoliatam, nec violatam. Miraculum item, quod Holofernes ad quā captiuā ducta erat, alioqui voluptati deditus, & specie eius iam captus, in quartam noctem exspectauerit, ingressum & egressum, de die, & de nocte liberum reli-

a Cap. 7.

reliquerit. Ecce quomodo Deus suis ad-
dit, Iudith dat gloriam Deo, agnoscit ab
Angelo, quem ei Deus attribuit, se cu-
stoditam euntem, ibi morantem, & re-
uertentem: Ita Tobias, tres pueri in ca-
mino ignis, Petrus in vinculis, & alij ab
Angelis auxilium senserunt. Nos s̄epe à
nostris Angelis beneficium accipimus,
& non agnoscimus, nec gratias agimus,
nec ad ardua negotia in auxilium voca-
mus.

8.

Et iucundus factus est Holofernes ad eam;
bibitque vinum multum nimis, quantum vn-
quam biberat in vita sua. Ecce typum filij
huius saeculi; a qui ducunt in bonis dies suos,
& in puncto ad inferna descendunt. b Quam
vanæ spes hominum. Deuorauerat iam
spe Bethuliam occupandam; specie mu-
liceris captus erat, & iam consensum im-
petratum putabat, ideo rerum securus
genio indulgebat. Quis credidisset ea-

L 5

dem

a Cap. 13.

b Job. 21.

dem nocte mactandum? & tamen apud Deum iam decretum erat. Pugnant inter se, animi tumor Holofernis, carnis æstus, ebrietas, somnus, & fallax securitas: Ex parte vero Iudith humilis, & fere uens oratio, ieiunia, cilicium, vigiliæ, magna erga Deum fiducia. Tumidum Holofernis animum, humiliis oratio Iudithæ edomat; Ebrietatem, ieiunia dominant; æstum carnis cilicia pungunt; vino somnoque sepultum, vigiliæ deprehendunt; mulier vincit, feroci Tyranno caput aufert.

Ecce contraria studia, & diuersos rerum euentus, filiorum huius sæculi, & seruorum Dei.

9.

Extare voluit Iudith æternum monumentum huius rei, Conopeum Holoferni suspendens; idque non tam propter se, quam ut glorificetur Deus, quoties in oculos hominum hoc anathema incurreret. Placet quippe Deo gratitudo & laudes ex memoria beneficio-

ſtiorum: ideo ſtatuae eretiae, annuae feſtivitatis iſtitutae, vt in memoriam nobis res p̄eclarè, & ſanctè geſtas reſtrice-
mus. Ideo pro ſummo etiam Eccleſiae
theſauro nobis à Chriſto relictō (iſti-
tutionem inquam ſanctissimæ Eucha-
rifiæ) Chriſtus Apoſtolis mandauit, Hæc
quotiescumque feceritis, in mei memoriam
facietis. Contentus quaſi, ſæpe nos huius-
amoris meminiffe, ei que debitas gratias
perſoluere.

ORATTO.

O Gloria Hierusalēm (cœleſtis) O
lætitia Iſrael, o honorificentia po-
puli Christiani, glorioſiſſima Vir-
go Maria, quæ non tantum vnam ci-
uitatem, ſed totum genus humanum
ab obſidione liberasti, & ſuperbiſſimi
hoſtis noſtri caput contriuiſti. Ecce ani-
ma mea obſidetur, o Domina, ne patia-
re quæſo fontes aquæ viuæ mihi ad-
imi, & arida ſiti nimium premi. Sed

L. 6.

fluat.

fluat in cor meum per te quæ canalis es
omnium gratiarum, vena vitæ, quæ me
in spiritu recreet, & vires instauret. Do-
cuit me Iudith , & omnis populus Be-
thulix, orationibus, ieunijs, & alijs Deo
gratis obsequijs, iratum Numen flecte-
re. Ecce ego vermis & non homo, sub
potenti manu filij tui me humilio , &
prosterno, ac per te misericordiam im-
ploro, & quia ab hoste meo ita cingor,
& premor , vnde & extrema calamitas
mihi timenda, te veram Iuditham no-
stram humillimè rogo, vt tam potentem
& minacem hostem meum, forti manu
tua sternas, vt ab ipso securus, & liber,
Deo meo quiete seruire, & tibi debitas
gratias dignè persoluere valeam. Quæ in
cœlis coronata triumphas in om-
nem æternitatem ,
Amen.

SAN-

SANCTVARIVM DEI. 243

SANCTVARIVM DEI. *a*
TABERNACVLVM FOE-
DERIS. *b*

TABERNACVLUM DEI CVM
HOMINIBVS. *c*

ALTARE THYMIA-
MATIS. *d*

PROPITIATORIVM ALTIS-
SIMI. *e*

ARCA TESTAMEN-
TI. *f*

Quare in Lauretanis, Tit. Fœderis
Arca. fol. 112.

Coniungo hæc omnia; quia partim
Synonyma sunt, partim ita quoad
L 7 vsum

a Exo. 10. b Item 25. c Apoc. 25.

d Exod. 30. e Item 25. f Ibid.

vsum coniuncta, vt vnum sine alio vix recte explicari possit. Pleraque ex ijs intelligi possunt, quæ in Lauretanis de fœderis Arca diximus. Subiungo pauca de Altari Thymiamatis.

In hoc Altari de lignis Sethim purissimo auro conuestito, quotidie mane & vesperi, thymiamam suauissimi odoris adolebatur. Hoc adumbrabat cor Marix, in quo quotidie, manè, & vesperi, suauissimè fragrans thymiamam ad Deum ascendebat, quo Deus, & omnes Angeli vehementer recreabantur, & omne genus dæmoniorum extricabatur, dum variæ virtutes eius flagrantib[us] charitatis igne succensæ fragrabant. Vnde merito Deipara de se dicere poterat: *Sicut Cynamomum & balsamum aromatizans odorem dedi, a quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris: & quasi storax, & galbanus, & vngula, & gutta &c.* b Hinc
S. Bo-

a Eccli. 24.

b In spec. c7.

S. Bonauentura, Odor, inquit, Mariæ fuit sicut Cynamomum, in cortice conuersationis; & sicut balsamum interius, in vncione deuotionis; sicut myrrha in amaritudine castigationis &c. Et S. Bernardus super verba illa, Spiritus S. superueniet in te; dicit pretiosum illud balsamum tanta copia, & plenitude tibi influet, O Virgo, ut copiosissime effluat circumquaque.

Earundem Virtutum Deiparæ fragrantia insinuatitur per Virgulam fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij. a hæc Virgula Deum petens sursum fumabat, & per Virtutes charitatis igne succensas mirè fragrabat. Ita Sophron. de Assumptione.

S. Bernardus meditatur etiam ante incarnationem Christi simile de B. Virginie. b Nam cum esset Rex in accubitu suo, Nardus Virginis, inquit, dedit odorem suum, & ascendit in conspectu gloriæ eius, fu-

mus.

a Cant. 3.

b Super missus.

mus aromatis, & inuenit gratiam coram oculis Domini &c.

Petrus Damianus, a Vniuersus, inquit, puluis pigmentarius in Virginem coniectus est quia in ea Virtutum conuentus reuerendum sibi thalamum consecrauit ; et si cæteros per partes spiritus afficit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ si peruenit.

Hac fragrantia Virtutum B. Virgo non tantum Deum, & totam Curiam cœlestem recreat, verum alias quoque Christi fideles, & maximè sibi peculia riter deuotos, ad eurrendam viam Domini excitat, vnde clamant, *in odor rem vnguentorum tuorum currimus.*

Serm. de Assumpt.

S C A-

SCALA IACOB.

Vide in Lauretanis: Ianua Cœli,
fol. 126.

ARCA TESTAMENTI.

Vide in Lauretanis. Fœderis arca,
fol. 112.

SPECVLVM SINE MATERIA.

Vide in Lauretanis: Speculum Iustitiae
fol. 42.

VIRGA MOYSIS. a

VIRGA IESSE. b

Placuit non tantum has duas virgas
coniungere , quæ in Litanij sese
consequuntur , sed etiam aliarum
qua-

a *Exod. 4.* b *Ezai. 11.*

quarundam meminisse, quas ad hoc nostrum institutum in Scriptura & SS. Patribus reperio.

Mirabilia olim Deus per Moysen operaturus, inter alia ei dixit : *a Virgam hanc sume in manu tua in qua facturus es signa.* Cum ergo iussu Dei, populus ex Aegypto egressus esset, & Pharaon cum ingenti exercitu persequens ad mare rubrum pene asscutus fuisset, dixit Dominus Moysi, *b Eleua Virgam tuam super mare, & diuide illud, ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum.*

Cum verò nihilominus Pharaon, cum toto exercitu eos persequeretur, ait Dominus Moysi. Extende manum tuam super mare, ut reuertantur aquæ ad Aegyptios, super currus, & equites, eorum, &c. Ergo gloriose magnificatus est Dominus, equum, & ascensorem deiecit in mare, nec unus superfuit ex eis.

Sicut ergo mare rubrum Virga Moses percussum, se se aperuit, & liberum transi-

a Exod. 4. b Exod. 14.

transitum populo, ut hostem effugere, & ad terram promissionis expedite transire posset ; ita Beatissima Virgo instar Virgæ Moysis procellosum mare huius Mundi diuisit , vt plurimi communem hostem effugere , & ad cœlestem patriam expedite transire potuerint. Et quidem occasione maris rubri, ita S. Bonaventura meditatur de nomine Mariæ, quod amarum mare sonat. *a* Illa enim, inquit, amarum mare fuit Diabolo, & Angelis eius per ipsam oppresis, & submersis , non fecus ac Ægyptijs in mari rubro.

De hac Virga in hoc sensu plura vide-
re licet apud Petrum Damianum sermo-
ne de Assumptione. Bernhardinus Se-
nensis Tom. II. a. I. c. 3. Et S. Antoninus
4. part. tit. 15. c. 24. §. 4. Moyses etiā Vir-
ga sua petram percussit & aquas elicuit. *b*
Ita hęc nostra Virga, Virgo inquam san-
ctissima plura lapidea peccatorum corda
percussit , vt lacrymæ veræ pœnitentia
vbertim manarent.

Moy-

a In ſpec. c. 3. *b* Exod. 17.

Moyses Virgam suam in manu tenes
orauit, & vicit Amalechitas, dum Iosue
contra illos pugnaret. ^a Ita nos in patro-
cino B. Virginis vincimus hostes no-
stros spirituales.

Cur Virgæ Jesse, hæc Virgo assimile-
tur, pulchrè ss. Patres declarant. s. Am-
brosius super illud Esai. II. Egredietur Vir-
ga de radice Jesse, & flos de radice eius ascen-
det, & requiescat super eum Spiritus Domini:
compendio rem dicit lib. I. de bened. Pa-
tr. c. 4. & lib. 2. de Spiritu s. c. 5. Radix, in-
quit, familia Iudæorum ; Virga, Maria;
Flos Mariæ Christus.

s. Bonaventura alludens ad illud vati-
cinium Esaiæ, ^b quomodo super florem
huius Virgæ requiescat Spiritus Domi-
ni, ita scribit: Quicunqz, Spiritus Sancti gra-
tiam adipisci desiderat, ipse florem Spiritus
Sancti in Virgine querat: Per Virgam enim ad
florem, per florem ad Spiritum Sanctum in ip-
so requiescentem peruenimus, Per Mariam ad
Christum

^a Ibid.

^b In spec. B. V. cap. 6.

Christum accedimus, & per Christum gratiam Spiritus Sancti inuenimus.

Idem S. Bonauentura in eodem speculo, inquit: b Si hunc florem habere desideras, Virgam floris precibus flectas: Si flos est nimis altus Diuinitate, Virga tamen est flexibilis pietate. Et si flos est rarissimus, quia in cœlo, & in terra non inuenitur, nisi unicus, est tamen communissimus, non in horto conclusus, sed in campo omnibus transiuntibus expensus. Et ideo bene dicere potest Christus illud: Ego flos campi. hæc ille.

VIRGA AARON.

Disiungi ab his duabus Virgis non potest Virga Aaron, quæ inter omnes alias aridas Virgas sola floruit, & fructū protulit. De hac ita S. Augustinus li. 2. ad catechum. c. 4. Et serm. de temp. Domin. 3. Aduentus. Virga ecce protulit, inquit, quod ante non habuit, nec defossa sarculo, nec animata succo, nec fœcundata seminario: Et tamen cum illic deessent vniuersa iura naturæ, protulit Virga quod nec semine suggeri potuit, nec radice.

S. Ber-

a cap. 10. b Num. 7.

S.Bernardus de eadem ita scribit; a
*Nec Virgæ virorem floris ludit emissio, nec
 Virginis pudorem sacri partus editio.*

Petrus Damianus serm. de Assump-
 tione, ita etiam inter cœtera de hac Vir-
 ga nostra piè ratiocinatur, & tandem
 ait; *In Virgine Virga, & baculo cruce, mis-
 erorum spes, & consolatio continetur, sicut
 sublimis Propheta clara voce declarat, Virga,
 inquit tua, & baculus tuus, ipsa me consolata
 sunt.*

Consolationem sensit Dauid in illo
 Psalmo, quod à Deo tanquam à Pasto-
 re dederetur ad pascua, & dirigeretur
 tam paternè, & ubi necesse esset, etiam
 puniret si malè ambularet. De illa prou-
 identia Dei singulari erga Ioseph, vide
 quid fratribus ipsem testetur Ioseph,
 qui fratribus dixit; *c Non vestro consilio sed
 Dei voluntate huc missus sum. Signum au-
 tem Dei amoris est, non permettere ab-
 errare nimium suos : quem enim diligit*

Domi-

a Serm. 2. super Mius. b Psal. 22.

c Gen. 45. & c, 50.

Dominus, castigat, & flagellat omnem filium quem recipit. Heb. 12. Ita Beatissima Virgo, ut aliquos à via iustitiae aberrantes reduceret, morbos, & varios aduersos casus impetravit, quibus exerciti tandem agnouerunt, & redierunt percutientes pectora sua.

Est ergo Beatissima hæc Patrona nostra Virga Consolationis, & Virga directionis, quæ non patitur suos aberrare.

a Est virga virtutis quam emisit Dominus ex Syon, b contra dæmones, vt S. Bonaventura interpretatur, & contra hostes Ecclesiæ, quæ percussit & interemit cunctas hæreses, vt canit Ecclesia.

a Psal. 44. b Psal. 109.

PIÆ CONSIDERATIO-

N E S.



Virgam hæc sume in manum tuam,
ô cultor B. Virginis, in qua facies
signa.

figna. *a* Si te premat hostis, & ad angustias redigat, hac percutere aquas tribulatum, & viam dabunt, ut siccō pede furorem hostis possis euadere.

2.

Vbi contra hostes pugnandum est, montem ad orandum conscende, & magna cum fiducia hanc Virgam gloriosem ad cœlum extende, *b* in hac vinces. Voca Mariam. hæc Virga vigilans est, hostes terret, sternit. *c*

3.

Si exaruit tanquam testa cor tuum, imo si in petram indurescat, ut nec veræ deuotionis, aut spiritualis consolationis, aut doloris de peccatis guttam ullā stillare possit, confide, hæc Virgo cor Magdalena percussit, & oculi eius exitus aquarum deduxerūt, quibus dulcis Magistri pedes vbertim rigare potuit. Mollescit enim cor tuum hac Virga tactum, erumpent lacrymarum riuuli, quibus & noxas cluere, & sitim collum æternorum sedare possis.

d. Hac

a Exod. 4. b Item 17. c Hier. 1.

4.

Hac Virga vtere tanquam baculo peregrinationis tuæ , in hoc Iordanem miseriarum huius Mundi securè transi: firmabis gressus tuos, & in eo, ex itinere fessus, & anhelans, suauiter subinde conquiesces: transilie fossas, & varias itineris difficultates superabis: allatrantem terribis & percuties illum Erebi canem, hostem fugabis. *a Non est hic baculus arundineus, qui confractus manum tuam perforet,* securè in hac Virga confidere poteris, apparuit arida, viruit tamen, floruit, & fructus protulit. *b*

5.

Hic baculus erit senectutis tuæ. Tu in hac Virga colenda consenesce , nec dubita de solatio, genua labantia firmabit in via mandatorum Dei , vires instaurabit: hac Virga nixus, & firmiter stabis, & securè ambulabis, ad metam tibi præfixam.

M

ORA-

a Esa.36. b 4.Reg.18.

ORATIO.

O Benedic̄ta Virga, in qua Deus tā
mirabilia operatus est, quæ totus
orbis stupet. Olim Patriarcha Ia-
cob adorauit fastigium Virgæ, filij sui
Ioseph, dominantis in Ægypto: a E-
sther summitem Virgæ aureæ Regis
Assueri humillimè osculata est: b Quin
ergo & ego, intimo cordis mei affectu,
hanc benedictam Virgam reuerenter
exoscular, colo, & amplector. Ah diri-
ge, ô Virga directionis gressus meos,
in semita mandatorum Dei, & me ou-
culam tuam sicubi aberro, corrige, &
in rectam viam redire coge; deduc me
ad salutaria pascua. Virga vigilans es, in-
crepa, acclama, de periculo mone. Virga
Virtutis es ex Syon missa, lupum arce,
sterne. In via peregrinationis meæ esto
mihi in aduersitate præsidium, in lubri-
co baculus, quo genua labantia firmem,
gressus constanter figam, fessus respirem

Ad

a Heb. II. b Esth. 5.

Ad terram promissionis mihi pen-
dum, obstat mare tribulationum, eost is
instat, vrget, vestigia premit; extende
potentem manum tuam, O Regina Cœ-
li percutere hoc mare, dissipentur aquæ, ut
sicco pede transeam, hostis furorem ef-
fugiam, & in terra lacte, & melle manā-
te, mihi cœlitus promissa, gloriose De-
um magnificare possim. Quæ in cœlis
coronata triumphas in omnein æterni-
tatem, Amen.

LILIVM INTER SPINAS.

Vide in Lauretanis: Rosa mystica.
fol. 71.

RVBVS ARDEN'S INCOM-
BVS TVS. a

Non sum nescius, rubum ardente,
sicut & plures alias Figuras S.
cripture, & vaticinia, que in L. ta
M 2 nij.

a Exod. 3.

nijs ponuntur, de Christo, Ecclesia, & alijs quandoque explicari posse, & solere à SS. Patribus, mihi tamen propositum est, similia tantum B. Virgini applicare, quæ mens Ecclesiæ est in his Litanijs. feci id hactenus, & facturus sum posthac.

Beatissima Virgo Maria rubus ardens, & incombustus fuit, quando Redemptorem nostrum concepit, & quando eundem Mundo peperit: imò verò etiam quando ipsa concepta fuit. Videbatur enim homo nobis similis, obnoxia Originalis maculæ, & tamen ab ea præseruata fuit, & minimè infuscata.

Quando Christum concepit, reddebatur grauida, Iosepho apparebat adultera, & tamen illæsa permansit: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto erat.

Quando eundem peperit, Mater videbatur, & erat. Et tamen Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum. Ideo canit Ecclesia: *Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conseruatam agnouimus*

nouimus tuam laudabilem Virginitatem. Sed & dolore carebat.

S. Bernardus hom. 2. super Missus. Portendebat inquit, rubus ille Mariam parientem, & dolorem non sentientem. Quando Deipara Deum, qui ignis dicitur (Deuter. 4.) concepit, Virginitatis viorem retinuit.

S. Damascenus miratus hanc Christi conceptionem plenam miraculis, ita sibi respondet: *a Spiritus S. inquit, Virgo Divinitatis suæ rore ita te seruauit, ut ab igne diuino minime absumereris. Nam hoc quoque Moysis rubus præsignabat.*

Ildesonsus, magnus Virginis amator & cultor, ita de rubo ardente ratiocinatur. *a Hoc, inquit, rubo incombusto manente. Virginitatem B. Mariæ conseruatam credimus corde, confitemur ore: Quoniam Spiritus Sanctus qui Deus, ignis consumens est, totā inflammavit, & incanduit, ita ut Mater fieret Christi, & Templūm Diuinæ Maiestatis.*

M 3

Curio-

*a Orat. I. de Natiuit.**b Serm. I. de Assumpt.*

Curiosè aliqui interrogant, cur Deus ad tantum mysterium significandū, Rubum alijs nobilioribus arboribus præposuerit. Respondetur id factum propter duas rubi proprietates. Prima est, quod eius folia serpentibus sint infestissima, ut patet ex D. Ambrosio lib. 3. Hexam. c. 8. Philone Iudæo, & Dioscoride. Secunda, quod ob pungentes spinas, folia eius ab omnibus maneant intacta. Ut ergo Deus significaret Virginem Matrē eius semper intactam fore, & antiquo serpenti inimicam, Rubum præ cœteris elegit. Est ergo Maria instar Rubi, parvula propter humilitatem: Viridis fide, & omni genere Virtutum: Florida propter Virginitatem, & fœcunditatē, quia in flore, spes fructus est: *In me omnis spes vita & virtutis.* a Odorifera propter Virtutum fragrantiam. In plateis sicut cinamomum & balsamum &c. Aculeata spinis, propter tribulationum puncturas, maximè in filij sui passione.

PIÆ

Eccli. 24.

PIÆ CONSIDERATIO-
N E S.

F.

MOYSES vidit hoc magnum myste-
rium in deserto obambulans. A-
mat Deus quietem, quando no-
biscum vult agere. Non in vento fortis,
non in commotione Dominus, a sed in
sibili aura tenuis. Consilium Domini est: b
Cum oraueris, intra in cubiculum tuum, &
clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito,
Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor
eius. c In meditatione exardescet ignis. Ps. 38.

2.

V adam & videbo visionem hanc ma-
gnam dicebat Moyses. Conatus noster
adhibendus, quando Deus nobis ali-
quid ostendit, accedendum, ut videamus
momenta rei, & quid Deus à nobis exi-
gat.

M 4

3. Sol-

a 3. Reg. 19. b Matth. 6. c Ose. 2.

3.

Solue calceamentum de pedibus tuis.
 Humiliter & reuerenter accedēdum ad
 Dominum, puro cordis affectu myste-
 rīa Dei tractanda. Christus Dominus la-
 uit pedes suis discipulis, antequam cos
 suo sanctissimo corpore & sanguine pa-
 uit. hic saltem calceamentum soluere iu-
 betur, fortè ob defectum aquæ; propter
 sanctificationem tanti mysterij, certè &
 pedes lauare decuisset..

4.

Terra, in qua stas, terra sancta est. Hic
 tantum per Angelum locutus est Domi-
 nus, & tamen terram sanctam appellat.
 Quis ergo honor nostris templis defe-
 rendus, ubi ipse Deus præsens est, in sa-
 crificio Missæ, & custodia sanctissimi
 Sacramenti? Ut taceam administratio-
 nem Baptismi & aliorum quoque Sacra-
 mentorum? Loquitur nobis Dominus
 ex cathedra, & sede confessionis respon-
 det nobis in orationibus, & gemitibus
 nostris, quando in templo oramus.

5. Om-

5.

Omnis anima iusti huic rubo compari potest. *Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus. a Patet in Iob, Tobia, & plurimis alijs. Mundus subministrat faces, diuitijs, honoribus, voluptatibus. Et concupiscentia quasi ignis exardescit; b & licet quidem eligere, potius nubere, quam vri: Iustus tamen, & Dco fidens, non superatur ab hoc igne. Imò S. Benedictus dum vreretur, ne combureretur, ad spinosum Rubum configuit, in spinis se volutauit. Sic plures alij. Ecce Rubum ardente non combustum. Melius est sic vri, quam nubere.*

6.

Quæuis anima deuota deberet esse Rubus incombustus, humilis benè radicata, densa spinis, aspera pœnitentijs, intractabilis aduersus blanditias Mundi, carnis, & Diaboli. Viridis, virtutibus. Omni ergo custodia custodiamus, & sepiamus cor nostrum tali rubo.

M 5

ORA-

a Sap. 3. b Eccli. 9.

ORATIO.

Video rubum magnis mysterijs ardentem; Quin ergo soluo calceamentum, & nudis plantis reuerenter accedo? Ah admitte me anhelantem, O Regina cœlitum, ut videam visionem hanc magnam. Videt te Moyses igne flagrantem, nec tamen consumptam. Nigra es, sed formosa: ardes, & tamen vires: Mater es, paris, sed sine dolore, & cum Virginitatis honore. O magnum mysterium. Vocavit Deus Moysen ex rubo; ah sonet etiam vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis: inflammari cupio, & ardere desidero, immo etiam consumi ardeant; dumeta cordis mei, illæ asperæ vepres, quæ suffocant bonam sementem, & me intractabilem redundunt domesticis fidei. In cinerem vertatur quidquid in me coram oculis Dei asperum & horridum est: flagrent spinæ noxiarum cupiditatum huius Mundi: Concálescat cor meum intra me, & in medi-

ditatione mea exardescat ignis : flagrem amore tui , dulcissimique nati tui , O castissima Virgo , & Mater : Ignis cœlestis comburat , & absumat in me , quidquid amo præter Deum , & te . Quæ in cælis coronata triumphas in omnem æternitatem . Amen .

VELLVS GEDEO-

N I S. a

Hactenus ardebāt Bustus , nunc
rore madet Vellus , idein tamen
mysterium per vtrumque cælitus
Mundo proponitur .

Per hoc Vellus Beatissimam Virginē
esse à Spiritu S. præmonstratam , tota Ec-
clesia Catholica confirmat , quæ in festo
Circumcisionis canit ; Quando natus es in-
effabiliter ex Virgine , tunc impletæ sunt Scri-
pturæ ; sicut pluia in vellus descendisti , ut sal-
uum faceres genus humanum . Ita passim SS.
Patres intellexerunt , & explicarunt :

M 6

Petrus

a Iudic. 6.

Petrus Chrysologus ita scribit: *a Cœlestis imber, Virgineum in vellus placido se fudit illapsu. & tota Diuinitatis vnda, bibulo se nostræ carnis cœlauit in vellere, donec per patibulum crucis expressum, terris omnibus in pluuiam salutis effunderet.*

Ecce, ex rore pluuiæ, & quidem sanguinea; madet vellus, madet tellus: irrigatur Mundus, miro lacte, & sanguine. Ecclesia canit cum Venatio Fortunato, de Christo Redemptorè nostro, Ut nos lauaret crimine, Manauit vnda & sanguine.

Mysterium hoc pulchrè explicat S. Ambrosius. *b Quid inquam tam silenter, & sine strepitu fit, quam cum imber in lanæ vellus infunditur? Nullius aures sono verberat?* *&c. Rectè ergo Maria velleri comparatur, de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur: Vellus planè Maria est; Si quidē de molli sinu eius Agnus egressus est, qui & ipse Matris lanicinium, hoc est, carnem gestans, molli vellere, cunctorum operit vulnera populorum.*

Quis

a Serm. 134. b Serm. 13. de Natali.

Quis nos hac nobili lana vѣstiat , vt
olim Deus nudos parentes nostros in
paradiso? a tege etiam ô aureum vellus,
peccatorum meorum vulnera, quæ tibi
totique curiæ cœlesti horrorem ciere
possent.

S.Bernhardus ita hoc mysterium il-
lustrat. b Quid, inquit, illud vellus Gedeonis
significat, quod utique de carne tonsum, sed si-
ne vulnera carnis in area ponitur , & nunc
quidem lana, nunc vero area rore perfundi-
tur, nisi carnem assumptā de carne Virginis,
& absque detrimento Virginitatis? cui utique
distillantibus cœlis, tota se infundit plenitudo
Divinitatis ; adeò vt ex hac plenitudine om-
nes acceperimus, qui verè sine illa nihil aliud,
quam arida terra sumus.

Simili dulci affectu de hoc mysterio
alibi ita loquitur. c Intuere, ô homo , consi-
lium Dei, consilium pietatis. Cœlesti rore are-
am rigaturus, totum vellus prius infudit. Re-
dempturus humanum genus pretium vniuer-

M 7 sum

a Gen.3.

b Hom.2.super Miss.c In Natiu.B. Mariae.

sum contulit in Mariam. Altius ergo intueamini, quanto deuotionis affectu eam à nobis voluerit honorari, quia totius boni plenitudinē posuit in Maria; ut proinde si quid sp̄ei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab eā nouerimus redundare.

Hugo Cardinalis variè comparat vellet Mariam.
a Est rōre gratiæ plena: Vestis, & protectio simplicium, & innocentium: Mollis, tractabilis & blanda. Imbibit verbum Dei, conseruabat omnia verba illa in corde suo. b Frigora pellit, errores & imperfectiones, ariditates animarum nostrarum; & præsidijs multis ornat.

Ros autem Christus est, c quem olim Patres tot clamoribus, & desiderijs exoptârunt.
d Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum.

T.

Ros est Christus ex origine, quia de cœlo descendit. *Qui de cœlo venit, super omnes est, Ioan. 3.*

2. Ros

*a Super Psal. 71.**b Luc. 2. c Ros. d Esa. 44.*

2.

Ros occultè, & in silentio cadit. Ita Christus incarnatus, ut multi Angeli id non animaduerterint: de dæmonibus quidem constat, singulari Dei sapientia eos esse deceptos. Ita S. Ignatius in Epist. ad Ephes. S. Hieronymus in l.c. Matthæi Basilius de humana Christi generazione. Generationem eius quis enarrabit? Isa. 53.

3.

Ros noctu, & circa auroram cadit, Ita Christus in nocte natus, solatum miseris, qui in tenebris, & umbra mortis sedent.

4.

Conculcatur passim ab hominibus; quod & Christo accidit, Conculcauerunt me inimici mei.

5.

Arentia humectat, fertilitatem affert. Ita factum tempore gratiæ, sterilitas ablata, terra nostra (Deipara Virgo) dedit fructum suum.

6. Fru-

a Psal. 55.

6.

Fructibus incrementum dat , calorem , & succum. Extitere nouæ Virtutes, & doctrinæ tempore Christi, de paupertate Spiritus, Virginitate, iniuriarum tolerantia. Nihil simile olim auditum.

7.

Refrigerat Ros noctis æstum. Ita gratia Dei carnis, aliorumque vitiorum pruritum.

PIÆ CONSIDERATIO-

N E S.

8.

Descendit hic Ros cœlestis gratiæ in animas deuotas latenter, rigarentia corda, fœcundat, si ita à Deo cum Gedeone petamus , iam non explorandi gratia, sed impetrandi ex fide, & spe firma.

2.

Sed descendit hæc gratia tantum in vellus

vellus ouinum, simplex, innocuum, & mansuetum; non in Caprinum luxuriæ, non in Leoninum superbiæ, non in Caninum inuidiæ & rancoris, non in Lupinum rapacitatis; nec in Vulpinum dolositatis. Hugo Cardinalis.

3.

Dignum animaduersione, quod quando vellus animæ nostræ, plenum est hoc rore cœlesti, tunc corpus nostrum, terra nostra, arida est asperitate vitæ, & pœnitentiæ rigore.

4.

Quando in Litanij ita compellamus B. Virginem Vellus Gedeonis, ora pro nobis; partim Deum laudamus, propter gratiam huic velleri sacratissimo communicatam, in signum redemptionis generis humani; partim rogare debemus illam, ut velleri cordis nostri, rorem gratiæ impetreret.

5.

Decet cum Gedeone exprimere hunc rorem.

¶ In Psal. 71..

calo-
irtu-
pau-
rum
n.

Ita
rum

O-

atiæ
igat
ita à
non
x fi-

n in
ellus

rorem cœlestem, in conchain cordis nostri, & grato animo colligere, & omni diligentia asseruare hanc gratiam à Deo cordibus nostris communicatam.

6.

Non ineptè etiam illi vellus exprimere dicuntur, qui ex S. Scriptura varios pios sensus, & conceptus, ac doctrinas colligunt. Quin & ij, qui ex omnibus creaturis, & rebus, quas tractamus, aliquid boni colligunt, & piè meditantur.

Non abludam multum, si meminero magnæ fiduciæ in Deum S. Bernhardi, qui suo Amanuensi sub diu dictauit epistolam quandam, numero primam. Cū autem repente copiosa de cœlo pluuiia caderet, & Amanuenfis fugam captare vellet, prohibuit S. Bernhardus, dicens, *Opus Dei est, ipse sua curat.* Quo dicto miraculum Gedeonis renouatum est; nam vndiq; madente terra, Epistola sola, sicca remansit.

Concludo Appendix loco cum institutione celissimi Ordinis Aurei Veleris,

ler
pu
D
so
de
po
er
ui
hi
Sa
&
ec
ip
pu
tr
&
di
Pi
cu

leris, quem Anno 1429. instituit Philippus, cognomento Bonus, Burgundiae Dux Caroli Audacis pater; hic non Iasonem iuxta fabellas Poeticas, sed Gedeonem præ oculis habuit, qui cum suis populum Dei, à Madianitis, & alijs orientibus hostibus, fauente Deo liberavit. In hunc ergo finem Philippus Bonus hunc Ordinem instituit, in honorem Saluatoris nostri, & laudem B. Virginis, & gloriam S. Andreæ, ut certi quidam equites Zelo Dei flagrantes, vna cum ipso, contra hostes Ecclesiæ gloriose pugnarent, pro communi eius pace, & tranquillitate, ac limitum propagatione, & incremento. Qui Ordo in hunc usque diem floret inter Catholicos Reges, & Principes, aliosque Dynastas, magno cum Ecclesiæ solatio, & fructu.

ORATIO.

Agnosco, adoro, & colo illum rorē cœlestem, O dulcis Virgo, qui olim.

lim in virgineum vterum tuum descendit. Ah quanto desiderio hunc rorem imbibisti. Animos mihi addit glriosus Dux Gedeon, qui in signum präsentissimi auxilij diuini, nihil hæsitans, rorem à Deo, de cœlo, in siccum vellus descendere petijt: hic inquam mihi animos addit, O gloriosissima cœli Regina, vt in aridum vellus cordis mei, cœlestis gratiæ rore in descendere humillimè petere audeam, qui noxium æstum temperet, & dulci quodam solatio animam meā quæ est sine aqua tibi, recreet. Ecce offero concham cordis mei, ah liceat aliquid exprimere, de plenitudine gratiæ tuæ riga quod est aridum, impingua terram cordis mei, vt det fructum suum, ne instar maledictæ illius ficus, exarescam: laua quod est sordidum; foue quod est frigidum, materno tuo calore, & pio erga omnes tui amantes, affectu. Dignare me vestire, O Mater misericordiæ, hoc sacro vellere, & operire multitudinem peccatorum meorum: tege, de quibus erubesco, defende:

defende ab ijs, quæ pauesco. Orna cor
meum molli lana mansuetudinis, vt cum
magna patientia, in aduersis glutiam sa-
liuam meam, & ad iniuriam illatam, tan-
quam Agnus mansuetus, non aperiam
os meum. Sentiam etiam Gedeonis Ze-
lum in corde meo, *da mihi virtutem con-
tra hostes tuos*, & faue, vt meos quoque,
qui quærunt animam meam, gloriose
sternam. Quæ in cœlis coronata trium-
phas in omnem æternitatem, Amen.

T H R O N V S S A L O M O-
N I S.

Vide in Lauretanis: Sedes sapientiæ.
fol. 56.

T V R R I S E B V R N E A.

Vide in Lauretanis. Turris Dauidica
fol. 85.

F A V V S

FAVVS DISTILLANS. a

ITa de sua Sponsa loquitur Sponsus:
Fauus distillans labia tua Sponsa, mel & lac sub lingua tua. b

Guilelmus, cognomine paruus, hunc locum mysterio Annunciationis pulchrè accommodat. Cùm enim iam Patres pene ad raucedinem clamassent, *excita potentiam tuam. & veni.* & iam Angelus per Virginem nasciturum annunciareret, ac tantùm consensum Mariæ expectaret, ita B. Virginem alloquitur: *Dic ergo verbum dulce, o Maria, dic quod dictura es.* Ecce os tuum respiciunt Angeli, hominum amatores; SS. Patriarchæ & Prophetæ apud inferos positi exspectant verbum tuum quasi imbrem serotinum: *adhuc labia tua, sicut fauus, sed distillans, id est occultæ dulcedinis aliquid emittens, dicendo, Quomodo fiet istud?* *adhuc mel & lac sub lingua tua, verbū nempe illud dulcissimum, quod erit mel Angelorum, & lac mortalium.* Non sit ergo hoc mel & lac sub lingua tua, sed in lingua. Sonet vox tua in auribus nostris. *Ecce ancilla Domini, facta mihi a Cant. 4. b Ibid.*

secun-

secundū verbum tuum. Hoc plane est verbum dulcisonum, quod & Angeli, & homines desiderabant. Hoc verè est mel, & lac, quod erat sub lingua Virginis.

Verè hæc Virgo per tot Virtutum exercitia, tanquam Apis Argumentosa conata est talem fauum conficere, ex cera tam pura, ordine tam artificiosum, qui postea melle, rore illo cœlesti, Christi inquam, humanitate, repleretur, vnde illa postea Gratia plena ab Angelo salutata, nobis illud cœleste mel destillaret. Vnde & Ecclesia in Natiuitate Christi canit, *Hodie per totum Mundum melliflui facti sunt cœli, verè tunc fauus mel suum destillauit.*

Non possunt SS. Patres satis explicare illā internā huius virginis dulcedinē, pacem, securitatē, iubilū cordis, quā partim in contēplationibus, & ardētissimis desiderijs, & flagrāte charitate sensit; partim in conceptione, partu educatione, conuersatione fructus ventris sui, qui est nostra quoq; dulcedo, & totius Mūdi solatum

latium Consideremus Matrem, quibus
actibus charitatis, amplexibus, osculis,
blandis alloquijs infantulum sanctissi-
mum tractarit. *a* S. Bernhardus ad hoc allu-
dere videtur, dum dicit, labia labijs debentur,
nec enim de Sponsa labijs exprimerentur dul-
cedines, si non labijs imprimerentur Dilecti.
ideo dicit, Osculetur me osculo oris
sui. *b*

Meditatio horum mirabiliter afficit
intima cordis nostri. De S. Bernardo le-
gimus Christum ipsa hora Natiuitatis
noctu adhuc puero aliquando apparu-
isse in præsepio cum Virgine Matre, vn-
de illam dulcedinem haufit, quæ ex scri-
ptis eius apparet, maxime in sermonibus
de mysterijs incarnationis super Missus
est.

Conradus de Offida, in contempla-
tione infantiae Christi, petens solatum
Simeonis, à Matre impetravit infantu-
lum suum amplexandum. *c*

Notan-

a Cant. 4. b Idem. i.

c Simile de S. Francisco.

Notandum illud ex Cæsario lib. 7.
mirac.c.50.de saliuia oris cuiusdam ma-
tronæ in dulcedinem mellis conuersa,
ex sola Angelica salutatione quinqua-
gies recitata, cum totidem venijs, id est,
terræ osculis. Eandem gratiam impetra-
runt duo huius matronæ æmuli, Marsi-
lius Coloniæ propter templum S. Seuerini
inclusus, & aliis ex ordine Cisterciensi
Religiosus.

Hinc S.Bonauentura. a O multum,in-
quit, laudabilis Virgo Maria; tu nec nomina-
ri potes quin accendas, nec cogitari, quin re-
crees affectus diligentium te:tu nunquam si-
ne dulcedine diuinitus tibi insita memorie
portas ingrederis: Fortè hoc dixit ex Da-
masceno, qui ita scribit: Sufficit ijs qui tui
memoriam piè usurpant, ô Virgo , quippe quæ
eiusmodi lætitiam pariat, quam nullus eripe-
re poscit. qua nunc enim voluptate, quibus bo-
nis non impletur, qui mentem suam sanctissi-
mæ memorie promptuarium effecerit. Epu-
lentur iusti, & exultent. Gustate & vide-

N. te, quo-
a In spec. c.8.

te, quoniam suavis etiam hæc est Domina nostra.

Quin & peccatoribus hæc Virgo suum fauum distillat, & dulce loquitur, quia mel & lac sub lingua eius. Explicat hoc S. Bernardus super hunc locum. b Cohortatur hæc Virgo perfectionem, non cogit, sed magis consolatur pusillanimes, suscipit infirmos & si inquietos corripit, correctio iam dulcedinem sapit maternam: peccanti compatitur, conuerso indulget. Vide quam magna multitudo dulcedinis in labijs sponsa, quæ quoties tu pereffluis iu malum, toties si conuertaris, ipsa tibi distillat in bonū, & præbendæ veniæ vicibus non exauritur. Denique instar Angelorum Dei non insultat, sed exultat super peccatore pœnitentiam agente.

Meritò ergo omnes cum Ecclesia clamamus, vita dulcedo & spes nostra salve, O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria. Et cum Petro Damiano, b Felices Angelici Spiritus, qui B. Virginis habent præsentiam: nos interim memoriā abudatiæ suavitatis eructamus. Si dulcis est memoria, quid est præsentia?
a Ser. 34. sup. Cant. b Ser. I. de Nati. PLÆ

PIÆ CONSIDERATIO-
NES.

I.

Anima deuota tanquam solers Apicula, ex auditō, & scripto verbo Dei fauum sibi facit, & mel colligit. Ita fecit Maria puerpera, cum vel pastores rudes audiret narrare visionem, & cantum Angelorum, conseruabat omnia verba illa, conferens in corde suo. a Italia Regia illa apicula in Lege & gubernatione Dei recreata; Iudicia Dei desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, b & dulciora super mel & fauum. Quam benè ei sapuit, cum dixit, c Quam dulcia fauibus meis eloquia tua, super mel ori meo: & vix inde auelli potuit, sibi gratulans, Quomodo Dilexi, inquit, Legem tuam Domine? d tota die meditatio mea est,

N 2

2. Re-

a Luc. 2. b Psal. 18.c Item 118. d Ibid.

2.

Requiritur autem ad hoc, magnum desiderium, & quasi fames spiritualis. *a*
Nam anima, saturata concubabit fauum,
 ait Sapiens, Peccator qui os plenum sili-
 quis habet, quomodo hoc mel spiritua-
 le gustabit? Scarabæi stercori malunt in-
 sidere, quam rosis. nobilioris verò natu-
 ræ apiculæ sunt, quæ magnum delectum
 florum habent, fœtentes & venenatas
 herbas oderunt. delicati odoris, & gu-
 stus sunt, & valde aude omnes florum
 angulos perquirunt. *Concupiuit anima*
mea desiderare iustificationes tuas in omni
tempore. b In toto corde meo exquisiuite, a-
perui os meum, & attraxi spiritum. Deside-
rium autem hoc exacuet necessitas, quia
valde indigemus: Ut ilitas, quia hinc om-
ne robur nostrum: Suauitas, quia spiri-
tualis homo mirifice fruitur. Audi Cla-
ravallensem Apiculam suauiter susur-
rantem:

Tua

*a Pro. 27.**b Psal. 118.*

Tua Iesu dilectio,
Grata mentis refectio;
Replens sine fastidio,
Dans famem desiderio &c.

3.

Delectantur autem Apiculæ varieta-
te florum: ex diuersis, vnius tamen sapo-
ris mel conficiunt. Ita animæ deuotæ ex
diuersis doctrinam, & solatium colligunt,
non tantum ex Scriptura sacra, sed ex
vita Christi, B. Virginis, aliorumq; San-
ctorum illustribus exemplis. Magis mo-
uent exempla, & nos proprius attingere
videntur. Videmur aliquando idem
posse, idem debere facere. Virtutes alio-
rum nostras accidunt, prouocant, lacef-
sunt. Ex sola lectione vitæ Christi, &
Sanctorum plurimis Mundus desipuit,
vel imitari aliorum Heroicas virtutes,
dulce fuit. Obvia exempla breuitatis
causa omitto.

Tertullianus in antiqua Ecclesia ait
baptizatorum ora lacte & melle inuncta
fuisse. Lacta verbum Dei insinuabatur,

N 3

melle

melle autem meditatio eiusdem, vt infans suo tempore eius dulcedinem gustaret.

4.

Peculiariter autem à Beatissima Virgine sub cuius lingua mel & lac, decet nos discere mansuetudinem & prudentiam loquendi. *a* Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. *b* Sicut enim vitta fluentes capillos stringit, inquit Guilelmus in hunc locum, ita se labia eius perdiscrete censuram silentij stringebant, ne quod ex eis verbum inordinatum, vel inutile efflueret: diffusa hæc erat gratia in labijs eius. Si ex abundantia cordis os loquitur, quid patet at cor dulcedine redundans eructare, nisi verbum dulce? Quid poterat nubes illa, dulcedine grauida, stillare, nisi dulcedinem, nisi mel & fauum. Sic ille. Et verè dicitur fauus distillans, quia prudenter loquens non effundit quidquid in buccam venit, sed ex consilio Ecclesiastici verbis suis statram facit. *a*

Hoc

a Cant. 4.*b* Guild. c Eccli. 28.

Hoc & S. Ambrosius suadet; a Profer,
inquit, sermones ad mensuram, libra exami-
natos iustitiae, ut sit grauitas in sensu, in ser-
mone pondus, in verbis modus. Si enim hoc fa-
cimus in auro, inquit S. Chrysostomus, b
multò magis faciendum est in verbis, vt nihil
desit, nihil redundet.

Hinc B. Virgo tam raro, & tamen po-
tenter locuta legitur. Cum Angelo par-
cissimè locutæ est, sed necessario & in re
magni momenti. Primo. vt significaret
se voto Virginitatis obstrictam: Deinde
vt ostenderet humillimè in voluntatem
Dei se resignare. Elisabetham salutauit,
& cum ab ipsa Beata prædicaretur, in
Dei laudes, & canticum illud celeberrimi-
num *Magnificat*, prorupit. Quando fi-
lium amissum in Templo reperit, man-
suetè dixit, *Fili quid fecisti nobis sic?* In
nuptijs vero ex mera commiseratione
dixit Filio, *vinum non habent*, quid mo-
destius poterat dicere in illa penuria?
Verè fauus mellis verba composita.

N 4

40

a Offic. c. 3. b In Psal. 140.

a O imitandam sermonis parcitatem. & man-
suetudinem. Deplorandi verò ij, sub quo-
rum lingua labor & dolor, imo venenum a-
spidum. b Dentes eorum arma, & sagittæ, &
lingua eorum tanquam gladius acutus. Malè
sit detractionibus, imprecationibus,
blasphemijis nostris, vt taceam lasciuia,
scurrilia, nugas, &c.

5.

Est & aliis fauus destillans lacrymas
pœnitentiæ, quæ etiam suam dulcedinē
habent, propter interham spem miseri-
cordiæ Dei, quando ipse Spiritus in quo-
clamamus *Abba Pater*, inenarrabiles ge-
mitus prouocat, & testimonium reddit
Spiritui nostro, quod per cor contritum
& humiliatum iterum fiamus filij Dei. c

Clarissimum exemplum habemus in
S. Augustino, qui ita de se ipso scribit:
*d Quantum fleui in hymnis & canticis, suave
sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acri-
ter? Voces enim illæ influebant auribus meis*
Geli-

a Prou. 16. b Psal. 10. & 13. & 36.

c Rom. 8. d Lib. 9. Conf. cap. 5. & 6.

& eliquebatur veritas tua in cor meum, & ex ea aestuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.

Et alibi miratur fletum esse posse dulcem, & causam à Deo scire desiderat. Ita enim ait: a Possumne audire abs te Domine, qui veritas es, & admouere aurem cordis mei ori tuo, ut dicas mihi, cur fletus dulcis sit miseris? Vnde hic suavis fructus de amaritudine vitæ carpitur, gemere, & flere & suspirare, & conqueri? An hoc tibi dulce est, quod speramus audire te? Rectè istud in precibus, quia desiderium perueniendi habent &c.

Sæpe dubites, dolornie, an amor lacrymas prouocet: pugnant aliquando inter se, ut nubes, & tandem lacrymæ exprimuntur. Verisimile est in Petro hanc luctam fuisse: pudebat vanæ iactationis (*et si omnes scandalizati fuerint*) pudebat ab ancilla victum, dolebat factum, vrgebat interim vaticinium, & amor dulcis Magistri in solis lacrymis solatium erat. Quis affectus tam vbertim

N 5

lacry-

a Lib. 4. Conf. cap. 5.

lacrymas expressit Magdalæ ad pedes
I E S V , & ad monumentum? nisi iniectus
pudor, dolor, & amor? Ita sæpe homo à
Deo illustratus, & commotus; orat, plo-
rat, sperat, amat, & singultit suauiter, &
stillantibus lacrymis , benè est animæ
eius.

Quid dicam de dulci meditatione
Crucis, & passionis Christi? Ah quomo-
do absorpti sunt Sancti plurimi in amo-
re redemptoris nostri , contemplantes
illam abyssum misericordiæ filij Dei.
Frustra conati sunt quidam viri pii, id
calamo exprimere; quædam enim sen-
tire, non eloqui possumus: Plurimum
tamen præstiterunt, & nobis profue-
runt, ut ex amarissima passione Christi,
dulcissimum mel amoris pio lectori li-
bare liceat. Interim verissimum illud
quod Mellifluus Bernhardus in suo Ju-
bilo dicit:

Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere.

Experi-

Expertus potest credere
Quid sit I E S V M diligere.
Amor I E S V dulcissimus
Et verè suauissimus,
Plus millies gratissimus,
Quam dicere sufficimus.

Testantur tot millia Martyrum vtri-
usq; sexus, quibus, melle amoris Christi
gustato, dulce fuit piè flere, pati, mori.

7.

Quid porro dulcius illo fauo mellis,
quem Christus Redemptor noster toti
orbi Christiano, in SS. Eucharistiae Sa-
cramento tanquam præcipuum thesa-
rum, & arrham salutis nostræ reliquit.

Olim sub umbra Manna dedit po-
pulo suo, de quo sapiens ita loquitur: *a*
Angelorum escâ nutriuisti populum tuum,
& paratum panem de cœlo præstitisti illis sine
labore, etiam delectamentum in se haben-
tem, & omnis saporis suavitatem. Num-
quid hic dulcis fauus fuit? sed omnia
in figura, & sub umbra. Nunc autem

N 6 nobis

a Exod. 16. Sap. 16.

nobis dicit: *Ego sum panis vitæ: Patres vestri manduauerunt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur. O sacram conuiuum, canit Ecclesia, in quo Christus sumitur; recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. O res mirabilis, manducat Dominum pauper, seruus, & humilis. Senascens dedit socium, concrescens, in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium. O quam suavis est Domine Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo, de cœlo præstito, esurientes reples bonis. Similibus pijs Canticis per octo integros dies filios suos recreat Ecclesia; quis hinc non dulce mel audíssime sugat?*

8.

Supereft aliis adhuc fauus distillans, de quo ctiam in ærumnis nostris suauiter lingimns, & illuminantur oculi nostri, vt olim Ionathæ, cum virga sua intinxisset.

tinxisset in fauum mellis. a Est verò fa-
 uus hic contemplatio cœlestis glorie, pa-
 triæ inquam nostræ, ad quā nati sumus.
 b licet enim oculus non viderit, nec auris audi-
 uerit, nec in cor hominis ascenderit, quæ prä-
 parauit Deus ijs, qui diligunt illum, nobis ta-
 men reuelauit Deus per Spiritum suum; Spi-
 ritus enim omnia scrutatur; & merum
 mel videtur hoc ipsum scrutari. Verissi-
 mum enim illud Augustini: Domine
 creasti nos ad te, & inquietum est cor
 nostrum, donec veniat ad te. Lingenti
 hoc mel, omnia terrena desipiunt. Ad
 perennis vitæ fontem mens sitinit arida,
 claustra carnis pœsto frangi, clausa que-
 rit anima: Gliscit, ambit, eluctatur exul
 frui patriæ: c neque enim sunt condigne pas-
 siones huius temporis, ad futuram gloriam,
 quæ reuelabitur in nobis. Omnis mora,
 omnis hora diligentí nimis longa vide-
 tur: Cupio dissolui, & esse cum Christo. d In-
 colatus meus prolongatus est. e Quis dabit mi-

N 7

hi pen-

a 1. Reg. 14. b 1. Cor. 2.

c Petrus Damian. d Rom. 8, e Psal. 54.

hi pennas sicut columbae & volabo, & requiescam. Desidero te millies, Mi Iesu quando venies? Me lætum quando facies? Me de te quando saties? Ita Sancti in hoc Mundo gemunt, qui hunc fauum guttarunt.

ORATIO.

O Florum cœli decus & gloria, lilium conuallium, lilyum inter spinas, Rosa mystica, dulcissima Virgo Maria, admitte, oro, me miserari Apiculam, ut scruter in te arcana Dei, celissimas Virtutes, ac prærogatiwas tuas; admitte, inquam, me, ut inde mihi fauum ex virginea cera conficiam, & cœlesti melle repleteam, cibo mihi tam sapido, tam salutari, tam necessario, ut pascar donec hyems transeat. Liceat mihi cum famelico Ionatha hoc mellibile, ut illuminentur oculi mei, & colapsæ

lapsæ vires meæ instaurentur: Tu es enim vita, dulcedo, & spes vñica miserorum. Fauus distillans es, ah recreas aridas fauces animæ meæ. Mel & lac sub lingua tua: Loquere Domina ad cor meum, quia audit seruus tuus; eloquium tuum dulce. Doce me ex dulci corde mansueta, & mellita verba proloqui, quæ sapiant pacem, & misericordiam. Ah stilla in cor meum, de melle dulcissimo, flagrantissimi amoris tui, quo dilectissimum filium tuum in terris complexa es. O amplexus & oscula reciproca quæ vincunt mellis pocula. Doce me ex mellitis sermonibus eius, & sanctissimæ vitæ exemplis, ex Augustissimo eius epulo cum discipulis extremo; ex sacratissimis eius vulneribus dulce nectar fugere; Spiritus enim eius dulcis, & hæreditas eius super mel & fauum; ut sic in pace interna, omnia hæc terrena fastidiens, comedam fauum meum, cum melle meo, & cum suavitate, & solatio spirituali, in magna:

magna patientia glutiam saliuam me-
am, donec aliquando frui liceat dulcissi-
mo illo fauo, quem præparauit diligen-
tibus se: Sic tu me adiuua O clemens, O
pia, O dulcis Virgo Maria. Quæ in cælis
coronata triumphas in omnem æterni-
tatem. Amen.

H O R T V S C O N C L V-

S V S. a

Quare Beatissima Virgo hortus ab
Ecclesia nominetur, inter alios
pulchrè ostendit S. Hieronymus: b
Verè, inquit, hortus deliciarum, in quo sunt
consita vniuersa florum genera, & odora-
menta Virtutum, sicque conclusus, ut nesciat
violari, neque corrumpi ullis insidiarum frau-
dibus. Et rursus alibi: c Hortus conclusus so-
ror mea sponsa, hortus conclusus, fons signa-
tus. Quod clausum est, inquit, atque signa-
tum, similitudinem habet Matri Domini,
Matri & Virginis.

Ruper-

a Cant. 4. b De Ass. Virg. c Lib. I. cont. Iouin.

Rupertus in hunc locum ait: Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum, cum pomorum myrrha, & aloë id est, quidquid gratiarum, quidquid Virtutum, quidquid operationum cœlestium Mundus accepit, emissiones tuae sunt, & ubi erant prius spine, repres, carduus, vrtica, &c. ibi sit cyprus cum nardo &c.

Alanus de Insulis, paulo copiosius de hoc horto nostro differit. Hortus, inquit, est Maria, in quo non rosæ patientiae, nec lilia virginitatis desunt: in quo rosa dominici corporis & sanguinis, in quo lilyum castitatis. Conclusus, quia utroque clausus, studio bonæ intentionis & consideratione rationis. Hortus conclusus, quia Angelorum custodia circumseptus. Soror mea per dilectionem, sponsa per naturarum unionem. Hortus conclusus, hic ideo repetitur, ut perfectio Virginis in actione, & contemplatione notetur, vel in duplice Virginitatis specie. Conuenit præterea horto, ait, ut sit æqualis, septus, satus, distinctus, retus, & uber. Æqualis, ut rigetur; septus, ut seruetur; satus, ut fructificet; distinctus, ut delectet;

ne-
issi-
en-
, O
xelis-
ni-

ab-
ios
is:b
int
ra-
iat
uu-
so-
ra-
ia-
ni,

er-
in.

lectet; rectus, ut capiat aërem; uber, ut præbeat copiam. Et tu Virgo Dei genitrix fuisti uber hortus, copia plenitudinis, &c.

Prima habitatio, in quam Deus hominem creatum transtulit, fuit hortus, ut ibi pulchra Dei opera contemplaretur, ijsque frueretur. Postquam vero culpa sua inde exclusus est, quasi aliqua eius memoria hærcat, pro ingenua re-creatione, magno labore, & arte, alios sibi hortos comparat. In quo etiam Ethnici, sicut in ædificijs, ita & in hortis quādam magnificentiam ostentârunt. Noti sunt illi pensiles horti in Babylone, inter miracula orbis numerata, de quibus Cælius Rodig. lib. 12. cap. 38. & alij.

Homini ergo exulti, Misericors Deus, alium hortum condidit, ut amisso altero, hunc longè elegantiorum admiretur, & certa ratione fruatur. Et licet superius de hoc egerim Tit. Paradisus voluptatis, hic tamen propter nouum elogium Virginis, aliquid addam.

XVI. Ad-

1.

Ad bonum & fertilem hortum, procuratur bona terra, non petrosa, non spinosa, aut tribulorum radicibus plena, quam maledictionem à Deo, propter peccatū accepit.^a De huius autem noui horti terra, canit Ecclesia, *Benedixisti Domine terram tuam.* a Item, *visitasti terram,* & *inebriasti eam.* Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. b *Benedicta hæc terra,* & *benedictus fructus eius.* Omnis maledictio ablata, etiam originalis culpæ.

2.

Terra etiam hortorum nostrorum, debet ligonibus, pala, rastris, sulcari, mollescere, & aptè complanari. Egregie verò exercita est hæc Virgo, pauperte, ab infantia dilectissimi filij, & tota eius ætate: gladio etiam compassionis siccata, ab ipso præsepio usque ad crucem.

Sub-

a Gen. 3.

a Psal. 64. b Item 84.

Subegit præterea Deus hanc terram
omni exercitio humilitatis, aliarumque
Virtutum.

3.

Complanata terra in varios ordines
distribuitur, areolarum, arborum sta-
tiones &c. Quis verò non miretur in
hoc cultissimo Virginis animo, pulchrū
ordinem omnium virtutum? quæ meri-
to dicere potuit, *ab æterno ordinata sum.* a.
Item, *ordinauit in me charitatem.* b

4.

Debet etiam hortus esse desuper a-
pertus, & soli expositus, ut ventis perfla-
ri, rorem ac pluuiam excipere possit. O
quam patens cor Virginis, radijs solis
expositum, quibus in caluit, & inexplica-
bile lumen accepit, afflata à spiritu s. vt
Gabriel prædixerat. Cœlesti rore fœcunda-
ta, & varijs consolationibus irrigata,

5.

Necesse etiam est, ut hortus sepi aut
muro

a *Prou. 8.*b *Cant. 1.*

muro sit conclusus, ne bestiæ depascant herbas, aut teneriores plantas, & germina; Ne item fures fructus harpagent. Variè autem conclusa fuit Maria , sua Virginitate, ante , in partu, & post partam Virgo. Singulari etiam omnium sensuum, & cordis custodia , quo nullus hostis spiritualis penetrare potuit. Taceo Angelorum custodiam , quorum consortio assueta erat.

6.

Grati sunt horti , qui ab hominum tumultu separati sunt , & loco quieto siti. Quid verò quietius illo corde Virginis? Secretum meum mihi. *Dilectus meus mihi, & ego illi. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad' cor eius.* Quando aliqui volunt esse à curis, & negotijs liberi, ad suos hortos configiunt. Ah quoties hęc Virgo ad arcana cordis sui configit? Angelus illam solam inuenit , etsi despontatam. Inuitat suum dilectum, extra ciuitatem ad locum solitarium. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* a Cant. 7.

7. Grata

7.

Grata etiam in hortis subinde est umbra. Est enim refugium in æstu, & imbre. Dictum est huic horto, Spitus s. virtus altissimi obumbrabit tibi. Sub umbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Sub cruce stetit filij tempore passionis, sub umbra alarum dilectissimi filij, & in omnibus afflictionibus sub hanc umbram confudit.

8.

Fontium grati susurri in quibusdam hortis audiuntur, & quandoque etiam riuulorum: his hortus tempore æstus rigatur, aliquando inde se refrigerare, bibere, lauare licet. O quam diuite vena hæc Virgo rigata est in æru nnis suis, magna solatia cœlo lapsa sensit: *hausit aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* a

9.

Audiuntur etiam subinde in hortis dul-

a. *Esa. 12.*

dulces auiū cantus. Quis nobis explicet recreationem animi , quam sensit in canendis psalmis? Tinniebant adhuc aures eius ex psalmodia Templi , cum adhuc ibi seruiret; Tinniebant ex Prophe-tijs de incarnatione Christi, ex cātu Angelorū in nocte Natiuitatis, Elisabethæ, Zachariæ, Simeonis, Annæ, &c. ex vocibus Christi infantis, & adolescentis: imò omnium creaturarum laudes audiebat iuxta canticum puerorum.

IO.

Ex præcipuis horti recreationibus etiam est varietas florum , pulchritudo, suauolentia,raritas. Nihil est in illa benedicta anima , quod non floreat, non suave fragret. Nullum corporis mem-brum sine Virtute mouit. Nulla Virtus in vlo Sanctorum refulsit , quæ non in hoc Virtutum horto in excellentiori gradu intenta sit. Verè circumdata varie-tate. Ah quoties descendit dilectus eius in hortum suum, vt videret &c.

II. In

II.

In hortis etiam Medicinales herbæ reperiuntur, atque utinam illis uteremur contra varios morbos. Vltro & libenter nobis suppeditat. Quicquid ex arcolis illis elegantissimè dispositis carpimus, nobis salutare est. Sed balneo Mariæ aliquando opus est, igne charitatis, lacrymis contritionis, & amoris Dei.

12.

Finis hortorum est recreatio, & fructus: hortus sine fructibus non habet suam perfectionem. Quam dulce est frui aliquando fructu, ex arbore à nobis plantata; *Labores manuum tuarum manducabis.* Sicut ex arboribus fructus: ita ex Virtutibus merita crescunt. Quam benedictus fructus ventris huius Virginis. Totus Mundus eo fruitur. Guilelmus super hunc locum ait: *Vnicus huius Virginis fructus est, qui ab efficacitate salutis dictus est I E S V S:* Sed in illo fructu, multiplex est fructus. In uno Saluatore omnium IESV, plurimos

rimos Maria peperit ad salutem, pariendo vitam, multos peperit ad vitam: eo ipso, quod Mater est capit is, multorum membrorum Mater est.

PIÆ CONSIDERATIO-
NES.

I.

Plena est Sacra scriptura similitudinum, & parabolarum de Agricola, & agro, vinea, horto, arbore &c. quibus omnibus significatur Deum nō tantum ab Ecclesia, quam fundauit, & excoluit, sed à quo quis homine Christiano fructum exspectare. Hinc verbum Dei semini comparauit, animam verò nostram, aut cor hominis, agro, vineæ, aut palmiti, seu arbori &c. Summa omnium horum est, quod Christus suis discipulis, in vltima exhortatione sua dixit: *a Ego posui vos, vt eatis & fructum afferatis,*

O

& fru-

a Ioan. I5.

*& fructus vester maneat. Hinc in fructiferę
ficū maledixit, & omni arbori, ac pal-
miti non ferenti fructum, excidium, &
ignem minatus est.*

2.

Anima ergo , & conscientia nostra,
hortus est , nobis excolendus traditus.
Hinc ne siluescat, sulcari debet , zizania
cuellenda, terra bona procuranda , vt
semen nec super lapidem , nec in spinas
cadat. Terra bona ast, quæ fructum af-
fert in patientia, tractabilis, quæ pluui-
as suauiter imbibit, etiam gelata in hye-
me, semina sibi credita, integra seruat. *&*
*Curemus habere lilia, fratres, extirpare spi-
nas & tribulos, & inserere lilia festinemus: si
quando fortè & ad nos pascendos dignetur
Dilectus descendere, qui pascitur inter lilia.
Apud Mariam vtique pascebatur , idque
copiosius pro multitudine liliorum. An non
lilia, Virginitatis decus , humilitatis insig-
ne, supereminentia charitatis ? Erunt ta-
men & nobis lilia, quamuis inferiora valde;*
sed

a S. Bern. Serm. de Aqueductu.

HORTVS CONCLVSVS. 305

*Sed ne inter hæc quidem dedignabitur pasci
Sponsus.*

3.

Semina etiam bona procuranda , ex
auida auditione Verbi Dei , lectioneli-
brorum spiritualium, S. Scripturæ, Vitæ
Christi & Sanctorum.

4.

Flores, Virtutes inquam plantandæ,
quæ ornant hortum nostrum: fragrant
enim grato odore coram Deo & ho-
minibus. Habet Virtus originem , &
pulchritudinem suam ex Deo , qui est
forma omnis perfectionis. Etiam Eth-
nicis Virtus pulchra videbatur, quin &
in hoste quoque grata. Qui magis acce-
dit ad imitationem illius infinitæ perfe-
ctionis, eò plures sui admiratores , &a-
matores habebit. a *Quem dabitis horto
similem, nisi cuius anima spiritualibus sic af-
fectibus redolet, sicut aromaticis floribus hor-
tus?*

O 2

Arbo-

a S. Bernh. Serm. 35. in Cant.

5.

Arbores quoque plantandæ, quæ frumentum afferant: Ideo stercore adæ exercitijs humilitatis, memoria mortis, contempitu sui &c. nimium luxuriantes putandæ, secundæ cultro mortificationis. *a Quid proderit plantatio facta ad virtutes, si desit purgatio ad libertatem.* Optandum etiam nobis, & orandum, ubi nos officio nostro desumus, ut cœlestis Agricola id faciat: atque ita culter eius patienter ferendus, quia purgat ut fructum plus affera.

6.

Rigandus etiam hortus noster est lacrymis pœnitentiæ, compassionis proximi, amoris Dei, & ex desiderio collum æternorum ortis.

7.

Muro quoque, vel sepi muniendus, vel vepribus, & spinis horridis, ne singularis ferus depascat eum. *Omni custodia serua cor tuū, quia ab ipso vita procedit.* *b Nihil con-*

a Ibid. *b Proph. 4.*

hil confert cultura diligens disciplinæ , si cu-
stodia desit, inquit S. Bernhardus. a Ad
hanc custodiam pulchrè hortatur S.
Ambrosius suam Virginem his verbis:
Hortus clausus es Virgo , serua fructus tuos.
Hortus clausus es filia , nemo auferat sepem
tui pudoris. Et paulo infra: *Porta clausa est*
Virgo, nemo aperiat ianuam tuam, quam se-
mel clausit Sanctus, & verus , qui habet cla-
uem David, qui aperit , & nemo claudit , &
claudit, & nemo aperit. Aperuit tibi Scriptu-
ras, nemo eas claudat: clausit pudorem tuum,
nemo aperiat eum. hoc omni animæ deuo-
tæ, suo modo dictum velim.

ORATIO.

Hortus conclusus es, O delitijs af-
fluens æternum felicissima Virgo
Maria, hortus conclusus es, & cui
licebit ingredi , atque illa amœnitate
frui? Neminem ne admittis? Audio te in-
uitantem Sponsum tuum; Veniat dilectus

O 3

meus

a Serm. 35. in Cant. b De instit. Virg. c. 9.

meus in hortum suum, & comedat fructum
pomorum suorum. Utinam hunc comitari
liceat. Fatus indignus sum, qui inuiter:
Ah admitte tamen me, vel vltro veni-
entem, & ostium pulsantem. Non sum
vulpecula, quæ vineas demoliat, nee
Harpya omnia fœdans, sed solers, & ar-
gumentosa Apicula, quæ flores tantum
libat, & mel colligit. Ah fruar illa amœ-
nitate, & florum varietate. Audio ta-
men te etiam alios liberaliter inuitare: **a**
Transite ad me amnes, qui concupiscitis me,
& à generationibus meis implemini. Om-
nes, inquis: *Ecce adsum: b Emissiones tuæ*
preciosæ sunt, & variæ; Nardus & crocus,
fistula & Cinamomum, myrrha & Aloe,
cum omnibus primis vnguentis. Ecce
curro in odorem vnguentorum tuorum. Mater
es, non soles filios tuos excludere; visce-
ra noui: haec tenus tamen tenuisti me de-
xtera tua, & pio, ac materno affectu de-
duxisti me. *Introduc me, obsecro, in hortū*
tuum;

a Eccl. 24.

b Cant. 4.

tuum. Sufficit animæ meæ , vt vel admirer, & recreer fragrantia florum, & fructuum tuorum. Si id indignissimo mihi neges , Ecce , & ego adornaui hortum, humillimè te inuito. *Veni in hortum meum Electa ex millibus* , nec flores quidem , nec fructus exspectatos , & te dignos offerre possum, Veni tamen, Ah veni, & doce me terrena desideria horti mei, cordis inquam mei, pala mortificationis subigere, lolium, tribulos, & spineta vitiorum meorum stirpitus eradicare , electos ferere flores , probatos plantare surculos , qui spem fructus præbeant, vt & Ego tandem Dilectum in hortum meum inuitare, eique flores, & fructus gratos offerre queam: Quæ in cœlis coronata triumphas per omneim æternitatem, Amen.

FONS SIGNATVS.

P V T E V S A Q V A R V M VI
VENTIVM.

Vide supra Vena Vitæ. fol. 220.

O 4

N.A.

NAVIS INSTITORIS DE LONGE
PORTANS PATER
NEMUS

Ante Christum natum, fames erat super vniuersam terram; nihil satiabat animos hominum, ad magna, ad æterna creatos, ad imaginem & similitudinem Dei: nihil inquam satiabat, nullæ diuitiae, nullæ dignitates, nullæ scientiae; omnia vel inanitatem, vel vanitatem sapiebant.

Magna quidem Dei promissa in sacris litteris animos hominum suspendebant, sed omnia in ænigmate, quasi umbra transibant, diurna spes, & longa exspectatio tedium pariebant. Donec tandem venit plenitudo temporis, quando Spiritus S. hanc Nauem adornauit, quæ de longè panem attulit in Bethlehem (quæ domus panis appellatur) quo totus Mundus recreatus omniumque hominum desideria completa.

pletea fuerunt. Tulit autem hæc Nauis panem de longe, quantum distat cœlum & terra, Deus, & humana natura quam sibi Deus hypostaticè vniuit. Ecce fæminā quæ tria sata farinæ commiscuit :: a: Ipsa enim corpus, & animam, & Diuinitatem commiscuit, dixit, & facta sunt, dixit, fiat mihi secundum verbum tuum, & facta sunt hæc tria vnum, quando ex purissimis Virginis sanguinibus Verbum caro factum est. b Hic est panis qui de cœlo descendit, qui dat vitam Mundo. Hunc panem Deipara Virgo toti Mundo attulit, qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

I.

Habuit hæc Virgo varias proprietates Nauis, cui hic assimilatur. Sicut enim nauis ex inferiori parte, quæ in aquis est, diligentissimè clausa & obstructa est, ut quantum fieri potest, nec rimula aquis peruria sit; à superiori autem parte aperita, cœli clementiæ, & iniurijs exposita: Ita Beatissima Virgo secundum inferio-

O 5 rem

a Matth. 13. b Ioan. 6.

riorem hominem omnino clausa, terrenis affectibus, & prauis desiderijs; sensus omnes, cor ipsum optimè custoditum, ipse fomes peccati ablatus. Secundum superiorem autem hominem aperta, ad cœlestia dona percipienda, radijs solis iustitiæ exposita.

2.

Nauis in prora, & puppi, angustior, & restrictior est. Communem ingressum in hunc Mundum habuit B. Virgo quo ad miseras vitæ huius: restrinxit etiam postmodum seipsum voluntaria vitæ asperitate. Porro sub cruce & passione dilectissimi filij mirificè coangustata, varijs vitæ huius incommoditatibus attrita, sanctissimæ vitæ exemplo, tanquā in angusta puppi, usque ad finem vitæ suæ, lugens & tristis vidua conquieuit.

3.

Nauis autem in medio capacissima est, ubi homines, merces, & alia recondita. Quā capax fuerit hæc nauis nostra, Ecclesia in Hymnis, & Canticis suis exprimit:

Quem

NAVIS INSTITORIS.

313

Quem terra, pontus Æthera,
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam
Claustrum Mariæ baiulat.

Id toto illo hymno præstat, & pluribus
alijs in locis, quem cœli capere non pote-
rant, canit, tuo gremio contulisti. Taceo ca-
pacissimum illud pectus, & animam
gratia plenam, teste Gabriele, omnibus
Virtutibus, & donis Spiritus Sancti re-
fertam.

4.

Naves etiam ingentia pondera fe-
runt, quæ alias nullis machinis in tanta
copia vehi possent. In hac naui filius Dei
Mundum pugillo continens, Ventris
sub arca clausus est: hunc autem ponde-
rosum fecerunt peccata nostra; a iniqui-
tates nostras ipse portauit: quia posuit in eo
Deus iniquitates omnium nostrum. Ve-
re languores nostros ipse tulit, & dolores no-
stros ipse portauit. Ecce qualia pondera
hæc Nauis ferat.

O 6

5. Vt.

a Esa. 53.

5.

Vt autem hæc Nauis ad optatum
portum perueniat , vela sua expandit,
quæ sunt pulchra illa Virginis desideria,
& resignatio sui in voluntatem Dei. Ecce
*Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum
tuum: quām promptè voluntatem suam
expandit, ecce cui vento se credat , &
quam feliciter plenis velis volet; orans
cum Dauide, a Spiritu tuus bonus deducet
me in terram rectam.*^b Si filij Dei hoc Spi-
ritu aguntur, quantò magis Mater Dei,
cui ab Angelo promissum, *Spiritus S. su-*
perueniet in te, & virtus altissimi obumbra-
bit tibi.

6.

Clauum interim semper tenuit Bea-
tissima Virgo , & omnes actiones suas,
summa prudentia & discretione ad De-
um direxit , ad normam mandatorum
Dei. Lex & voluntas Dei infallibilis Ma-
gnes est, quem semper Virgo respexit,
donec ad felicissimum portū peruenit.

7. Na-

a *Psal. 42.* b *Rom. 8.*

Naves autem vi tempestatum aliquando ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos. b An non mirificè exaltata hæc Nauis usque ad cœlos, solo titulo Matris Dei, quando ab Angelo salutata honorificentissimè, concepit & felicissimè Orbi genuit Deum & hominem? vt taceam de alijs celsissimis eius prærogatiis, de raptu & excessu mentis in continua contemplatione rerum cœlestium, & amore tanti Sponsi. Simul tamen iactata, & depressa usque ad abyssos omnium miseriарum huius vitæ non tantum spontaneis actibus humilitatis, sed & varijs ærumnis, iussa fugere cum vix nato Saluatore in exilium, vt furorem Herodis declinaret. An non animam eius gladius pertransijt, iuxta Simeonis vaticinium in persecutionibus, & cruciatibus dilectissimi filij, quando stabat dolorosa iuxta crucem lacrymosa, dum pendebat filius?

O 7

8.Ma-

b Psal.106.

8.

Malus huius Nauis Christus erat, qui
se viridem arborem vocauit: *Si in viridi
ligno hoc faciūt, in arido quid fieri?* Excelsior
celis factus. ^a In hac malo Beatissima Vir-
go speculam suam collocauit, in eamq;
ascendens cœli terræque abdita mysteria
contemplata est. Huic malo vela sua
affixit, illa nimirum sancta desideria, il-
los pios affectus quibus ad omnem Vir-
tutum pulchritudinem, & summam vi-
tæ perfectionem, à Spiritu S. vecta &
promota fuit.

9.

Arma huius Nauis, Virtutes, sunt
tantæ Virginis excellentiæ, & præroga-
tiuæ Matris Dei, & virtus altissimi eam
obumbrans, quibus cunctas hæreses
sola interemit, & omnem potentiam
Principis huius Mundi gloriose fre-
git, & damnata illa Monstra Marina fu-
gauit.

10. In

^a *Luc. 23. Heb. 7.*

IO.

In omnibus maris & Mundi huius procellis, fortis anchora hanc Nauem sistit & immobilem reddit, illa in dubitata in Deū spes, & fiducia huius gloriose Virginis, cui firmissimè semper adhæsit, & pio ac materno affectu strinxit. Contra hanc nec portæ inferi prævalere potuerunt.

PIÆ CONSIDERATIO-

N. E. S.

Quilibet anima fidelis, est nauicula quae dicitur S. Augustinus, & Mare autem partim corpus nostrum, partim totus Mundus: omnia habent amaritudinem admixtam; flant venti tentacionum, aduersi casus, propriæ passiones animi, carnalia desideria, Dæmones ipsi militant aduersus spiritum.

II.

Nauis autem ventis & procellis pericula.

a Aug. super Ioan.

riculosè iactata, adiuuatur in primis ej-
ciendo ponderosas merces, & ea quæ na-
uim ineptam reddunt, vt fluctibus ce-
dat, & gubernanti obluctetur. Laboran-
dum ergo cuius animæ cum fluctibus
tentationum luctanti, vt se se exoneret
amore rerum temporalium: b' *Corpus e-*
nim quod corrumpitur aggrauat animam, &
terrena inhabitatio deprimit sensum multa
cogitantem. Sapienter dicit, deprimit,
quia ægrè se leuat ad superna animus
terrenis immersus.

2.

Iuuatur etiam Nauis ejciendo aquā,
quæ ingressa est; & hoc planè est neces-
sarium, quia pondus augetur, & merces
corrumpuntur, & homines affliguntur,
manifestoq; periculo exponuntur. Imò
iuxta S. Augustinum aqua etiam per ri-
mas ingressa neglecta, tandem nauim
deprimet. Itaque vigilandum, & ad la-
borandum, vt si quid animus noster
hausit superfluum, & perniciosum, vel

vi

b Sap. 9.

ij-
ia-
e-
n-
us-
et
e-
&
'ta
it,
us-
á,
f-
es-
r,
ò
i-
n-
l-
r
el
i
vi tentationum, vel sola negligentia no-
stra, & mala sensuum custodia, id omne
per exactum conscientiae examen, & pia
exercitia euacuetur.

3.

Sistitur Nauis anchora proiecta, quæ
alicubi terræ, vel saxis affixa, ita nauem
firmat, ut nulla vi tempestatis facilè vcl
abripi, vel ad rupes allidi queat. Ita per
anchoram sanctæ spei pius animus fir-
matur, & Deo in quem confidit ita arctè
adhæret, ut nullis casibus aduersis inde
dimoueri possit: a *Qui confidunt in Domi-
no, sicut mons Syon fiunt, inquit Dauid, qui
non commouetur in æternum. Spes enim non
confundit.* b

4.

Nauis ventorum vi in incertum ab-
repta, iuuatur vela contrahendo, & om-
nino aliquando deponendo. Pleni quā-
doque nimio fastu, pleni furore, & vin-
dictæ desiderio, pleni alijs prauis deside-
rijs abripiimur quasi pansis velis, pericu-
lo

a *Psal. 124.* b *Rom. 5.*

Io proximi ne ad infernales rupes allidamur, vnicum ergo remedium est, vt vela contrahamus, non demus locum iræ, alijsque indomit is affectibus, sed rescindamus vincula, quæ nos ad interitum rapiunt.

5.

Furentibus procellis Nauclerus ad gubernaculum currit, omniq; ope adnittitur vt nauem rectè gubernet, quod in similibus casibus vnicè necessarium est. Idem nobis hoc dictum velim, dum impotentes animi nostri motus, in incertum, in manifestum inquam periculum, nos abripiunt, ad clavum currendum est, & regenda nauis discretè & prudenter ad amissim diuinæ voluntatis, & iuxta legem ac viam mandatorum eius.

6.

Denique rebus desperatis, it clamor cœlo, Dei hominumque auxilium imploratur. Vbi humana auxilia desunt, quid supereft, nisi vt ad Deum clamemus cum discipulis, Domine salua nos, perimus.

Ita:

Ita & hortatur nos & opem promittit
Deus: *Quoniam in me sperauit liberabo eū,*
&c. a *Clamabit ad me, & ego exaudiā eū:*
Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum,
& *glorificabo eum.* Ita expertus gratulatur
sibi Dauid, & gloriatur, b *Cum inuoca-*
rem exaudiuit me Deus iustitiae meae, in tri-
bulatione dilataſti mihi. Ita omnes San-
cti, & electi in necessitatibus varijs ad
Deum clamauerunt, & ipse redemptor
noster in acerbissimis suis doloribus in
Cruce clamans voce magna Spiritum
suum Patri commēdauit. c Notum illud
consilium S. Bernardi. *Si insurgunt venti*
tentationum, respice stellam, voca Mariā, &c.

Notandum etiam Malaciam no-
bis suspectam esse debere; ne nimium
quieto mari fidamus. Omnia instru-
menta parata esse debent, vt cum in-
gruit necessitas, necessaria in promptu
sint. Semper Nauclerus prudens ad
clauum vigil sedet, & acum inspicit
quo.

a *Psal. 90.* b *Idem 4.* c *Luc. 23.*

quo Nauis perget, atque ubi res ita exigit, opus urget. Multi periēre nimium securi.

8.

Non alienum est considerare hic differentiam magnarum nauium & triremium. Maiores naues à vento potissimum reguntur, Triremes autem magno hominum labore improbè remigando. Magnæ porrò naues alto Oceano se credunt, Triremes autem littora ferè legūt. Duas hic inumbratas spirituales vitas reperio, Speculatiuam seu Contemplatiuam, & Actiuam. Contemplatiua altis mysterijs se credit, & Spiritu Dei regitur, & quasi passiuè se habet: Actiuia autem operi intenta est, terris vicinior, eundem tamen portum sibi præfixum habent.

9.

Denique obseruatione dignum, quod nauis quam diu in mari, aut flumine natat, quovis remo facile in omnem partem versari, in sicco verò posita extra aquam,

quam, nullis prope viribus promoueri possit: Homo item dum adhuc viuit, facile corpus suum quo quis mouere, & trāsferre potest; anima autem ē corpore separata, cadauer, instar trunci, immotum iacet. Ita in vita spirituali, quamdiu homo viuit, multum potest apud Deum, varijs actibus Virtutū promereri; quā primum verò viuere desinit, nil amplius mereri potest. In portu Nauis stat immobilis, alijs mercibus Mercator frui nō potest, quam quas secum attulit: regreflus, & vltior nauigatio non permittitur, Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. a

a Gal. 6.

ORATIO.

ONauis optatissima, tantis suspirijs piorum hominum, tot seculis expectata, ab ipsis quoq; Patribus in limbo tantopere desiderata, quæ filijs famelicis, & in summa egestate constitutis,

tutis, de longè panem portasti; benè ve-
neris, O dulcissima Mater misericordiæ:
Non sine pulchro omine in Bethleheim,
in domum inquam panis , felicissimo
partu, de longè , de cœlo vtique hunc
panem detulisti. Ah Domina, semper da
nobis hunc panem ; a *Hic est enim panis*
de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manduca-
uerit, non moriatur. Olim naues Salomo-
nis ex Ophir aurum , & gemmas ad or-
natum Templi detulerunt: a Verè & tu,
ô Regina Cœli pretiosum thesaurum
tecum tulisti , vt dignum filio Dei Ta-
bernaculum præparares. Ah liceat quām
demississimè concendere hanc nauem,
& tecum plenis velis , ad felicissimum
portum transfretare: aliæ naues pericu-
lis naufragij expositæ sunt, hāc nec por-
tæ inferi subuertere possunt. Arcæ Noe
memini, sed octo tantum animæ in ea
saluatæ , per hanc autem toti generi hu-
mano salus præparata. Vereor autem ô
Domina, vt me indignissimum ad lintré
meam

a Ioh.6. a 3.Reg. IO.

meam ableges, qua mihi hoc fretum superandum est. Sed heu miserere, quanta me pericula manent? quid aliud clamē, quam cum Dauide, b vt liberer à pusillanimitate Spiritus, & tempestate, c ah ne demergat me tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum. Sed ecce, magno meo cum solatio; ingeniosa necessitas consilium suggerit. Sæpe obseruavi ad magnas onerarias, alligari paruas, quæ etiam sine remige cum maiori quaquà transeunt. Ergo bona pace tua, O dulcis Maria, maris huius Stella, & Regina, meam cariosam lintrem, arctissimis vinculis huic tux victoriosissimæ Naui alligo, sic securus, æstuosum hoc mare transibo, & te Domina patrocinante, ad portum optatissimum, felicissimè haud dubio appellam. Quæ in cœlis coronata triumpphas in omnem æternitatem, Amen.

(? · ?)

M V-

b Psal. 54. c Item 68.

MVLIER AMICTA
SOLE. a

Beatissima Virgo Maria Soli comparatur, citra ullam iniuriam Solis Iustitiae, qui dixit, b Ego sum lux Mundi.

Rupertus super illud Cant. 6. Electa ut Sol, ita explicat: Non quidem natura tu idem es, quod ille Sol, sed nihilominus tanta es, ut te honoret ipse Sol, honore, quo decet filios honorare parentes suos. Certè in Sole hoc (Virgine inquam Maria) posuit tabernaculum suum. Clarius idem Rupertus ita de hac re differit ibidem. Sicut enim Luna lucet, & illuminat luce non sua, sed ex Sole accepta; sic tu O Beatissima, hoc ipsum, quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex gratia Diuina, O gratia plena. Quando autem de hoc Mundo assumpta, atque ad æthereum thalamum translata es, tunc & tu, & ex tunc Electa ut Sol: Electa inquam nobis; quia sicut

ex

a Apo. 12. b Ioan. 8.

*ex te natum Dei filium, Solem verum, Solem
eternum adoramus, & colimus ut Deum ve-
rum; sic & te honoramus, atque veneramur,
ut veri Dei Genitricem, scientes quia totus
honor impensus Matri, sine dubio redundat in
gloriam filij.* a Quàm familiaris, inquit,
Christo facta es, ô Domina quàm proxi-
ma, imò quàm intima fieri meruisti?
quantam inuenisti gratiam apud Deū?
vestis eū substantia carnis, & vestit ille te
gloria suę Maiestatis; vestis Solem nube,
& Sole ipsa vestiris.

Idem de Aquæductu: Tolle, inquit,
*corpus solare, vbi dies? tolle Mariam, quid nisi
caligo inuoluens, & umbræ Mortis, ac densissi-
mæ tenebræ relinquunt?*

Idem S. Bernhardus, a Iure, inquit,
*Maria Sole perhibetur amicta, quæ profun-
disimam diuinæ Sapientiæ, ultra quam credi
valeat, penetrauit abyssum; vt quantum sine
personalí vnione creaturæ conditio patitur,
luci illi inacessibili videatur immersa.*

P Sicut

a S.Bern. Serm. 7. super signum magnum.

Apoc. 12. b In cap. 12, Apocal.

1.

Sicut ergo luminare maius præest diei; ita Beatissima Virgo lucem dedit sacerculo, omnia tenebricosa corda illuminat, quo radijs suis penetrare potest. Quod tenebras ignorantiae disspellat, exempla habemus in Alberto Magno, Hermanno Contracto, Ruperto Tuitiensi, & alijs, qui suam doctrinam, & lumen ingenij à Beatissima Virgine, pio cultu, & precibus impetrârunt. Tenebras cordis ab hoc Sole dispulsas, testabitur Maria Ægyptiaca, & integra volumina exemplorum, de peccatoribus ab hoc Sole illuminatis.

2.

Neque verò Sol tantum illuminat, sed & calefacit. Idem de Beatissima Virgine dici potest: Que madmodum enim Sol ille, inquit S. Bernardus, a super bonos & malos indifferenter oritur; sic ipsa (Virgo Maria) præterita quoque non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus

a S. Bernh. super signum magnum.

nibus clementissimam præbet, omnium denique in necessitate amplissimo quodam miseretur affectu. Nec est qui se abscondat à calore eius. Maria omnes fouet, inquit S. Bernardus, & omnes exhilarat, omnibus sinum aperit. In hoc sinu quis non incalescat, quis non amore rerum cœlestium inflammetur?

3.

Sol mollia quædam exsiccatur, indurat, & putrida mundat: apparet in limo, & luto. Ita gratia, intercessione, & meritis Beatissimæ Virginis plurimorum magnorum peccatorum mollia, & putrida corda purgata, & emendata fuerunt. Nā gratia Mariæ Virginis cœnum peccatorum exarescere facit, & paludes vitiorū exsiccatur. Quædam verò Sole mollit, liquefacit, dissoluit, vt ceram, niuein, glaciem, butyrum, &c. Ita frigida & congelata corda peccatorum Mariæ gratia liquefacit, dura mollit hic Sol misericordiæ. In varijs statibus, pro varietate, & diuersa constitutione hominum,

a Serm. 4. de Ass.

P 2

ix

in animis corum salutem misericorditer
operator.

4.

Sol transiens cloacas, & immundas
lacunas, non inquinatur. Sic Beatissima
Virgo nec in ortu suo, ex immunda &
damnata massa generata, nihil immun-
ditiae contraxit, nec originalis peccati
macula inquinata est. Quod conside-
rans pius Idiota sic de ea loquitur: a Totæ
pulchra es gloriosissima Virgo, non in parte,
sed in tota, & macula peccati, siue mortalis,
siue venialis, siue originalis, non est in te, nec
vnquam fuit, nec erit: Sed adest tibi omnis
gratia naturalium bonorum, spiritualium
charismatum, & cœlestium donorum. Hac
ratione etiam innocenter vixit in Ægy-
pto inter idololatras, inter sannas &
conuitia Iudæorum, inter persecutores
Ecclesiæ, & etiamnum inter hæreses tri-
umphat.

5.

Sol recreat sat: herbis, floribus, arbo-
ribus

a Cap. 2. Contempl.

ribus dat succum, & vitam. Vbi frigus,
 & Solis priuatio, nihil horum cernitur.
 Hinc quidam flores Sole occidente, sese
 claudunt; eodem verò oriente, sese ex-
 pandunt, calorem occultamque vim a-
 uidè excipiunt. Imò quidam Solem sem-
 per respiciunt, & motum eius sequun-
 tur; Vnde nomen Heliotropij, seu Soli-
 sequij acceperunt. Ita veri cultores B.
 Virginis, Sole amictam semper respici-
 unt, ad Patronam suam, corda sua ex-
 pandunt, ut varias gratias accipiant; ad
 nutum & voluntatem, eius directionem
 accipiunt.

6.

Tria maximè in Sole admiranda. In-
 primis cius figura, tam parvus apparens,
 cum sit in se maximus. Secundò, lumen
 & splendor eius, oculorum nostrorum
 aciem præstringens. Tertiò, cursus eius
 tam constans, ut mensura & Regula sit
 temporum; id in horologijs solaribus, &
 varijs instrumentis Mathematicis appa-
 ret.

Humilitas B. Virginis quam tota
vita sua exercuit, fefellit oculos homi-
num, & texit illas excellentias & præro-
gatiwas, ut nec in matrimonio suo illiba-
ta Virgo, nec in felicissimo eius partu
Mater Dei agnosceretur, cuius tamen
dignitatein Cherubim ac Seraphim ad-
mirabantur. B. Anselmus, cum huius
Virginis sublimitatem non possit satis
explicare, ita eam alloquitur: *a Nihil tibi
Domina æquale est, nihil comparabile: Omne
enim quod est, aut supra te est, aut sub te est;
Quod supra te est, solus Deus est; quod infra te
est, omne id est, quod Deus non est. Quis non
stupeat constantem cursum eius, in con-
tinuis actibus amoris Dei? quos nullæ
vitæ actiones, nec somnus ipse interrū-
pere, aut retardare potuit. b Multi enim
grauissimi authores afferunt, B. Virgi-
nem propter scientiam infusam, quæ à
phantasmate non dependet, etiam dum
dormiret, nō cessasse à contemplatione
rerum diuinarum, & dormientem me-
reri*

a Lib.de exor.hum.vit. b Suar.Tom.2.q.37.

reri potuisse, quæ meritò illud Sponsæ dicere poterat, a Ego dormio, & cor meum vigilat. De hac re ita S. Bernardinus Senensis. Somnus, inquit, qui abyssat, & se pelit in nobis rationis, & liberi arbitrij actus, & per consequens actum merendi: non credo quod talia in Virgine fuerit operatus. Sed anima eius liberè, ac meritorio actu tunc tendebat in Deum: vnde illo tempore erat perfectior contemplatrix, quam vñquam fuerit aliquis aliis, dum vigilauit.

Dionysius Carthusianus super illud,
Ego dormio, & cor meum vigilat, de B.
Virgine loquens, ita ait: b In somno corporali cor eius per uigil fuit, & ex assidua assuefactione perfecta insistendi Diuinis, ex ardorissima, & exercitatissima charitate, ex splendidissima, & exuberantissima Sapientia infusa, & contemplatione in vigilijs, penè, aut prorsus continuè, etiam tempore somni, vigili corde fuit Deo coniuncta.

Hac occasione occurrit mihi quæstio illa, non iniucunda, nec inutilis, qua-

P 4

aliqui

a Cant.5. b Cant.5.

334 LITAN. EX S. SCRIPT.

aliqui propter verba illa Christi (oportet
 semper orare, & non desicere : b Item Apo-
 stoli , sine intermissione orate , in omnibus
 gratias agite .) c quærunt, quomodo ho-
 mo semper orare, & mereri possit. vigi-
 lans , ac dormiens. Respondeo autem,
 sicut Religiosi propter votum Obedi-
 entiae semper mereri censentur , quoti-
 escunque, etiam ex pio quodam habitu,
 aliquem actum Regulæ suæ conformē
 faciunt, siue ut vigilent, ut loquitur S.
 Cassianus, siue ut dormiant ; ita quiuis
 Christianus , qui syncerè Deo placere,
 eumque nulla ratione offendere cupit,
 & mane, memor consilij S. Pauli a (omne
 quocunque facitis, in verbo, & in opere, om-
 nia in gloriam Domini nostri I E S V Christi
 facite) omnes suas actiones , & cogita-
 tiones ad laudem, & gloriam Dei offert,
 semper quasi orare, & mereri censetur.
 Formulæ autem ita se Deo commendā-
 di, in Ecclesia vſitatæ sunt : *Domine Deus*

Omni-

b Luc.18. c I.Thess.5.

a Coloff.3.

Omnipotens, qui ad principium huius diei nos
peruenire fecisti, tua nos hodie salua virtute,
vt in hac die ad nullum declinemus peccatum,
sed semper ad tuam iustitiam faciendam, no-
stra procedant eloquia, dirigantur, cogitatio-
nes & opera. Item, Dirigere & sanctificare
dignare Domine Deus, Rex cœli, & terræ, ho-
die corda, & corpora nostra, sensus, sermones,
& actus nostros, in Lege tua, & in operibus
mandatorum tuorum, vt hic, & in aeternum
salui te auxiliante, & liberi esse mereamur.
Tales inquam, si Deum alioqui grauicer
non offendant, cur non semper orare, &
mereri existimantur? maximè si subinde
se colligant, & animo matutinam obla-
tionem repeatant. Eodem modo qui ad
lectum, & somnum se comparat, si prius
se Deo deuotè commendet, & pro om-
nibus beneficijs, ab instanti creationis
animæ suæ, à Deo acceptis, humillimè, &
ex omnibus viribus animæ suæ offerat,
& optet, vt Deus vel suspiria, & respi-
rationes omnes, quoties etiam dorini-
ens Spiritum dicit, in signum gratiæ a-

nimi acceptet; quis neget talem etiam dormientem, propter tam seriam oblationem, Deo gratum opus facere, & simul mereri? Meritò sanè tales semper orare, & in omnibus Deo gratias agere censendi sunt. Disertè hoc suasit Christus Dominus B. Mechtildi, vt refert Blosius in Monili spirituali cap. 9.
Quando, inquit, quis somnum capere vult, meditetur aliquid de me, aut mecum loquatur: ita enim licet corpore dormiat, mente tamen vigilabit ad me. *Quisque* dormiturus desideret, vt singulas respirationes, quas nocte illa faciet, tanquam mei laudem suscipiam; Et ego qui sanctis votis piae amantissimæq[ue] animæ deesse non possum, in veritate desiderium eius adimplebo. Ideo Religiosissimus Blosius alibi, in Canone vitæ spiritualis cap. 24. dicit: *Quid*? agrè fers quod non possis iugiter instare precibus? Si bene vivis, si à peccatis sedulò abstines, si tempus utiliter expendis, si te in conspectu Domini verè humilias, Deum & cœlestem patriam suspiras, semper precaris: Sancta enim vita,

san-

sanctumq; desiderium coram Deo assidua
oratio est. In Exemplum , & testi-
monium huius laudatissimi spiritualis
exercitij, adduco S. Gertrudem charam
Dei filiam , Nieuellis in Brabantia cele-
brem, ob vitam religiosè ibi transactam,
& cui vt Deus declararet, quid ei gratum,
& beneplacitum ab ea accidere possit, in
reuelatione quadam præcepit , vt om-
nes , & singulas in specie actiones suas
ei offerret, litteras quas scriberet, cibum
quem sumeret , verba quæ loqueretur,
passus, pedum motus, inspirationes , &
agitationes cordis, easque tam natura-
libus , quam supernaturalibus filij sui
actionibus coniungeret , & vniret.
Quo consilio , & pio exercitio ad sum-
mam perfectionem peruenit, vt de illa
Deus S. Mechtildi (quæ in eodem Mo-
nasterio religiosam vitam profiteba-
tur) hæc verba diceret, non est in terra,
dempta venerabili Eucharistia , locus , in quo

P 6

agam.

a Blof. in monili Spirituali in Appen-
dice.

agam libentius, quam in corde Gertrudis.
Est ergo modus semper orandi, Deo
placendi, & merendi, ad aliquam saltem
imitationem gloriosissimę Virginis Ma-
riæ.

7.

Porrò, ut ad linea in redeamus, Sol
 etiam nebulas ex aqua, & palustribus lo-
 cis ascendentis, discutit, & aliquando
 omnino consumit. Ita Beatissima Vir-
 go, nostra desideria, quæ ex infirmitati-
 bus, & malis habitibus nostris ascendunt,
 & animam nostram obnubilant, calore
 suo, & amore nostri dissipat, & denuo
 nobis misericordiæ radijs fulget.

8.

Interdum etiam Sol densiores nu-
 bes in pluviā soluit, & aridam terram
 rigat. Ita & Beatissima Virgo crassos va-
 pores cordis nostri, & terrena desideria,
 in pœnitentiæ lacrymas soluit, & arida
 corda, salutari pluuiā recreat, atque fœ-
 cundat.

Com.

Compendio quodam S. Bernardus
virtutem huius nostri Solis elegantissi-
me describit: *a Maria, inquit, omnibus mi-*
sericordiae sinum aperit, *vt de plenitudine*
eius accipient vniuersi; Captiuus, redemptio-
nem; æger, curationem; tristis, consolationem;
peccator, veniam; iustus, gratiam; Angelus, læ-
titiam; tota Trinitas, gloriam; *denique Filij*
persona, humanæ carnis substantiam: vt nemo
sit, qui se abscondat à calore eius.

a Super signum magnum. & de Natiuit.
eius.

PIÆ CONSIDERATIO-

N E S.

I.

Tu si genuina proles es, flagrantem
hunc solem firma acie intuere, &
pulchritudinem eius, abyssum in-
quam omnium gratiarum, & cœlestium
charismatum libenter contemplare.

P 7

2. Ad.

2.

Ad radios huius Solis, expande, vt
turtur, alas tuas; excipe calentes radios,
qui frigidum cortuum recreent, & re-
focillent: admitte radios gratiæ, prompti sunt.

3.

Imitare Heliotropium, attende
motum Solis huius, nictus in quam qui-
bus te dirigit, sequere. Imitare Virtu-
tes, quibus olim in terris luxit: nunc
cœlesti gloria fulgentem intuere, lauda,
inuoca, & in dulci eius memoria persi-
ste.

4.

Post nubila Phœbus, in prouerbium
abijt, nec ridet semper Apollo: ita fors
fert rerum humanarū. Oriuntur nubes,
quæ iucundos Solis radios abscondunt,
minax & triste subinde cœlum, tempe-
states coquit. Tu patienter sustine vices
rerum: transiunt tandem, & dissipantur
nubes, redeunt optati Solis radij, & to-
tus mundus recreatur.

5. Si

5.

Si imbrem , grandinem , & similes tempestates times, quæ vitæ nostræ incomoda secum ferunt, mille tædia, causque aduersos ; supergredere has tristes nubes, ascende montem rerum cœlestium contemplatione. Expertus ipse sum, & vidi sub pedibus meis nubes , & tempestates, cum in alpibus animi causa ambularem, & grato interea Sole fruerer. Ita expedit in tribulationibus mentem leuare ad cœlestia , fortunæ casus pedibus calcare, Solis huius (Mariæ Virginis) lucida regna contemplari, eiusque solatio frui.

6.

Etsi magnus coram Dco sis , opta paruus apparere coram hominibus: gloriatur hæc celsissima Virgo , quod Deus respexerit humilitatem Ancillæ suæ. Et tamen quanta hæc semper coram Deo à primo suæ creationis momento ? interim in terris contempta, Orbi ignota, nunc vt Sol omnibus astris.

stris maior, omnibus inquam Sanctis, & ipsis Angelis excelsior, in curia cœlesti præeminet. Hanc promissionem etiam omnes humiles iusti habent: ideo canit Ecclesia, *fulgebunt iusti, sicut Sol, in conspectu Dei*, Optas fulgere, imitare, præ cœtris, fulgentem.

7.

Totus Mundus, in Sole miratur, ab aliquot millibus annorum, cursum constantissimum, & celerrimum, eumque tam occultum, ut progressus eius per vimbram duntaxat animaduerti possit, & ex interuallis, ex quibus non currere, sed progressum fuisse agnoscimus. An non hoc mysterium agnoscis in hac Virgine Sole amicta, cursum tam constantem, & tam occultum, in omni genere Virtutum & meritorum? Quis Iudæorum, quis Gentilium in Ægypto animaduertit? Nos eius gloriam, & præminentias iam per fidem, & quasi in enigmate videmus, & miramur super omnes choros Angelorum exaltatam. Tu in sum-

in summo silentio, & arcano cordis tui,
scande de virtute in virtutem, quicquid
agis, constanter agas, & perfice cursum.
falles cœcum Mundum, soli Deo pate-
bunt conatus tui, quibus benedicet, ut
felicissimam tibi in cœlis propositam
metam attingas. Quid tibi cum oculis, &
linguis hominum? retardare te in cursu
poterunt, promouere non possunt. Tu
cœlum tuere, & cum solo Deo rem-
age..

ORATIO.

O Amœnissimum Cœli iubar, Virgo
Sole purior, dulcis Maria: Ah il-
lustra tenebricosum cor meum,
quod expando ad te cum hiantibus ter-
ræ flosculis; foue illud, & recrea potentia-
bus tuis radijs; dulcissimo tui amore in-
flamma: trahe ad te omne desiderium
meum; contempler te firma acie, ut filius
tuus, & absorbear illa misericordiæ, o-
mniuumque aliarum tuarum. Virtutum
abyssos.

abyssō. Ah doce me celerem , eumque
constantem in via mandatorum Dei,
cursum, & progressum, tibi Deoque soli
notum. A me etiam paruus & humilis
coram Mundo haberi. Ardeat cor me-
um ut alios quoque tui , rerumque cœ-
lestium amore inflammare possim , &
cum iustis aliquando fulgere , sicut Sol,
in conspectu Dei. Quæ in cœlis corona-
ta triumphas in omnem æternitatem.
Amen.

S T E L L A M A T V T I N A .

Vide in Lauretanis, fol. 136.

A V R O R A C O N S V R -
G E N S . 4

I.

AVRORA finis noctis est , diei vero
principium. Ita Beatissima Virgo
cōcludit ea, quæ sub umbra olim
& fi-

a Cant. 6.

& figuris acta sunt : diem verò, id est,
tempus gratiæ, & Solem iustitiae, sua
Natiuitate annunciat; ita canit Ecclesia;
Natiuitas tua Dei Genitrix Virgo, gaudium
annunciauit vniuerso Mundo. Et Rupertus
Tuitiensis in Cantica, pulchrè id expli-
cat; a Quando, inquit, nata es ô Virgo beata,
tunc vera nobis Aurora surrexit. Aurora præ-
nuncia diei sempiterni : Quia sicut aurora
quotidiana finis est præterita noctis, & initium
diei sequentis. sic Natiuitas tua &c. finis
dolorum, & consolationis initium; finis tristi-
tiae, & letitiae nobis extitit principium.

2.

Aurora consurgente, feræ ad latibula
sua confugiunt. Ita olim infernales be-
stiae, ad necem generis humani grassa-
bantur; erat enim nox & omnia obscu-
ra, in Lege Naturæ, & Legis scriptæ.
Tempore gratiæ autem præcessit hæc
Aurora, Beatissima inquam Virgo Ma-
ria, terris exorta.

3. Obmu-

a Cap. 6.

ue
ei,
oli
lis
e-
&
ol,
a-
n.

A.

ö
o
n
z

3.

Obmutescere facit aurora , aues nocturnas; fugat vespertilio[n]es. Fures quoq[ue],
 vt Iob ait, a qui auroræ surgente arbitrantur umbram mortis, & sic in tenebris , quasi
 in luce ambulant. Taceo alia opera tenebrarum, quæ lucem fugiunt , & Solem
 Iustitiæ, quem hæc nostra Aurora, Beatisima inquam Virgo Mundo attulit. b
 Ego sum lux Mundi, inquit de seipso Christus Dominus, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Expetiuit hanc lucē olim Zacharias Propheta, quando dixit , illuminare his qui in tenebris , & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Hanc lucem Maria Mundo genuit,
 & quasi aurora præcessit.

4.

Aurora terminum sopori ponit , & initium labori. Tunc exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam, usque ad vesperam. a Quam somnolentum fuit sæculum ante tempus Gratiar[um]: de paucis

Patriar-

a Ioh. 24. b Ioan. 8. c Psal. 103.

Patriarchis, & Amicis Dei legimus. tempore autem gratiae, populus qui ambulabat in tenebris, vidi lucem magnam. a

5.

Aurora, quasi aurum hora; quia tunc incipiunt modulari. hoc Angeli, & homines deuoti praestant. Corde & animo, Christo canamus gloriam, in hac sacra solennitate, praecelsæ Genitricis Dei Mariæ, canit Ecclesia in festo Nativitatis eiusdem. Item, Cum iucunditate nativitatem B. Mariæ celebremus &c. Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. b quod de Angelis passim Doctores intelligunt, qui laudibus Beatissimæ Virginis mirifice recreantur.

6.

Aurora rorat. ros descendit in uterum Virginis, sicut in vellus Gedeonis. c concha hæc plena rore, Angelus gratia plenam pronun-

a Esa.9. b Job.38.

c Iudic.6.

348 LIT. EX S. SCRIPT.

pronuntiauit. Ros omnia fœcundat. Ecce quasi ros, & Israel germinabit quasi lilium. a hoc litium inter spinas Iudaicas natum est. Quidam flores circa auroram se expandunt: ita cor Virginis, & corda iustorum, Mane oratio mea præueniet te. Psal. 87.

7.

Aurora, maximè tempore æstus grata quadam aura plerumque flat, & omnia refrigerat. Vocem quasi auræ lenis audiui, inquit Iob. b Si ipse propter spiritum prophetiæ sensit illam lenem, & gratiam auroræ vocem, multo magis nos, huius tanti mysterij conscijs, recreabimur. Quam recreati sunt Patres in Limbo, quibus hoc mysterium reuelatum creditur? & alij pijs homines ad auroram, & initium felicissimi temporis gratiæ, Ioseph, Simeon, Anna, parentes B. Virginis &c.

8.

Aurora releuat infirmitates corporis: ita

a Ose. 14. b Iob. 4.

ris:ita Maria languores animæ.Languet aliquando animus oppressus desiderijs noxijs, æstuat; sed aspirante hac aurora, respirat, recreatur lumine quodam, & solatio interno.

9.

Aurora restituit omnibus rebus colorem:cœcæ tenebræ peccati omnia inuoluunt: palpant peccatores ad partem:aurora autem lumen affert,apparet vanitas rerum,& turpitudo peccati.

10.

In aurora colligebatur Manna. Exod. 16. quem tantis desiderijs Patres tot sœculis de cœlo petebant (*rorate cœli de super, & nubes pluant iustum*) in hac aurora tandem , tanquam optatissimum

Manna è cœlo delapsus est;

Ego sum panis,inquit,qui de cœlo descendit.

(*,*)

PIÆ

PIÆ CONSIDERATIO-
N E S.

1.

Si æstuas desiderijs nocuis, capta au-
rora, aperi fenestras cordis tui, frue-
re hac aurora: Os meum aperui, & at-
traxi spiritum, inquit Dauid. quando a-
nimo tuo ægrè est, & impotenti affectu
pectus calet, hanc auroram alloquere,
Virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpis
solutos, mites fac & castos.

2.

Surge qui dormis, & illuminabit
te hæc aurora: noli diutius stertere pi-
ger in lecto, sicut cardo in ianua. Sur-
ge ad labores. In aurora videtur totus
Mundus reuiuiscere, qui de nocte qua-
si in mortis imagine delitescit. Hæc no-
stra aurora suscitat pios animos, & ala-
cres

alacres facit, ad seruitium Dei, eiusque
obedientiam, & amorem.

3.

Attende quale lumen hæc aurora se-
cum ferat: Ostendet tibi turpitudinem
peccati, rerum vanitatem, Virtutum de-
corem, cœlestis patriæ amcenitatem.
Roga hancauroram, ut illuminet ocu-
los tuos, ne vñquam obdormias in hac
mortis ymbra.

4.

In hac aurora, collige Manna, vt
olim moris erat, Exod. 16. ferox est va-
riorum donorum, & roris cœlestis. Post-
habit is omnibus alijs mane hanc auro-
ram saluta. Exurge cum cythara tua,
mane diluculo, audi clamantem, *Ego dili-*
gentes me diligo, & qui mane vigilant ad
me, inuenient me. Mecum sunt diuitie &
gloria &c.a

Q

5. Ma-

a Pro. 8.

Mane incipe modulari cum auibus,
erumpe in laudes Dei , & Virginis Ma-
tris eius:nam laudant Deum astra ma-
tutina,id est, Angeli, & animæ solertes,
Deo deuotæ. Nosti illud S. Casimiri:
*Omni die, dic Mariæ, mea laudes anima: Eius
festa, eius gesta, cole deuotissima.*

ORATIO.

O Æternæ lucis prænuncia , amabi-
lis aurora, dulcissima Virgo Ma-
ria, quæ olim in Natiuitate tua to-
tum Mundum , etiam ipsum Limbum
Patrum recreasti ; exsurge , & illumina
tenebras mentis meæ: recrea languens
cor meum, & suauissima aura gratiæ tuæ
affla, noxiūm æstum tempera: fac me a-
lacrem ad seruitium Dei; laudem te cum
astris matutinis ; videam pulchritudi-
nem tuarum prærogatiuarum , omni-
umque Virtutum; Infer solem iustitiae
cordi

cordi meo, vt videam numerum iniquitatum mearum, & sciam quid desit mihi. Quæ in cœlis coronata triumphas in omnem æternitatem, Amen.

P V L C H R A V T L V-

N A. a

I.

Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præcesset diei, & luminare minus, vt præcesset noctis. b Peccatores in tenebris ambulare, & opera tenebrarum facere passim in S. Scriptura reperitur. Hos frequenter Luna nostra, Beatissima Virgo Maria illuminat, & misericordiæ suæ radijs, tenebras eorum discutit, ne tanquam cœci ambulent, & parietem palpent. c

Q 2

2. Con-

a Cant. 6.

b Gen. I.

c Esa. 59. Iob. 5. & 12.

2.

Constat, omnes stellas, suum lumen,
 à Sole accipere: idem de Luna reEtè af-
 firmatur. Hinc Rupertus, *a Sicut Luna,*
inquit, lucet, & illuminat luce non sua, sed
ex Sole accepta; Sic tu, ô Beatissima, hoc ip-
 sum, quod tam lucida es, non ex te habes, sed
ex gratia diuina, gratia plena. Quomo-
 do autem lucem suam naæta sit, idem
 Rupertus paulo superius clarius expli-
 cat: *Quando, inquit, Spiritus S. in te super-*
uenit, & filium Virgo concepisti, Virgo pepe-
rasti, tunc tu, & ex tunc pulchra, pulchritu-
dine diuina; pulchra inquam non quomodo-
cunque, sed, ut luna.

3.

Inter Planetas, Luna terræ vicinior
 est, variè influit in hæc inferiora, & po-
 tener operatur: Mari peculiariter do-
 minari dicitur. Ita Maria Virgo, pecca-
 toribus viciniorem se præbet, & mira in
 cordibus eorum operatur. Procellosum
 hoc mare miseriarum nostrarum ipsa
 guber-

a Cant. 6.

gubernat, ut meritò nos ei peculiariter commendemus, eiusque directioni, & protectioni nos committamus.

4.

Luna non sémper æqualiter splendet: aliquando plena cernitur, quandoque cornuta, aliquando omnino euancescit, & à nobis non cernitur: id ex interpositione terræ contingit: Quid si praui nostri affectus, & terrena desideria causarent, vt Maria non æqualiter semper nobis splendeat, aut omnino aliquando non luceat? Certè solæ nubes aliquando ipsam abscondunt. Quid si vapores crassi, & terrestres ex corde nostro ascendent, ipsam nobis subtrahant, quo minus nobis splendeat? In se saltem ipsa lumine solis semper plena est, defectus, & mutationes aliunde veniunt. *Defectus omnis, inquit S. Bernard.* a sub ea, & quicquid fragilitatis, seu corruptio-
nis est, excellentissima quadam sublimitate prae ceteris omnibus excedit, & supergredi-

Q 3

tur

a Lib. 6. in Cant.

tur creaturis, ut meritò sub pedibus eius Luna
esse dicatur. Maria, inquit S. August. in Ps.
142. Maria Lunam sub pedibus habebat, quia
mortalitatem carnis crescentis, & decrescen-
tis, Virtute calcabat. Et Petrus Damianus.
a Maria, inquit, inter animas Sanctorum, &
Angelorum choros supereminens, & euecta,
merita singulorum, & omnium titulos ante-
cedit. Quantumlibet aliae stellæ reuceant,
Luna tamen & magnitudine præminet, &
splendore; sic vtramq; naturam (hominum &
Angelorum) Virgo singularis exsuperat, &
immensitate gratiæ, & fulgore virtutum. In
hunc sensum etiam S. Hieronymus. b Pulchra
vt Luna, inquit, Maria, imò pulchrior quam
Luna, quia iam sine defectu sui coruscat, cœ-
lestibus illustrata fulgoribus. Guilelmus in
Canticis Maria, inquit, sanè pulchra, vt
Luna, dicitur, propter florem Virginitatis, ele-
cta vero, propter fructum fæcunditatis, &
paulo infra: Planè ipsa est Luna, ipsa est Sol:
Luna propter insigne pulchritudinis, Sol verò
propter prærogatiuam electionis. Hailgrimus
super

a Serm. de Ass. b De Ass. Virg. c Cant. 6.

super hunc locum; Maria, inquit, cum
audisset sibi promissam tantam magnitudi-
nem, quod foret Mater Dei, sese minuit usq;
ad Ancillam, & in hac imminutione concepit,
& facta est plena. O gratia plena, Luna per-
fecta.

5.

Luna aliquando prænunciat tempe-
states varias, iuxta illud tritum: Pallida
luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.
Colores autem similes in se non habet,
non est vitium in Luna, quæ supra nu-
bes semper est ubi similis, sed pro aeris
puritate, vel impuritate nobis variè ap-
paret: Sic Mariam pro conscientiæ no-
stræ statu, & morum vitæ, aliquando to-
tam mitem, & misericordiæ Matrem
experimur, aliquando iratam, pe-
riculum, poenas minantem,
& vindicem iniquita-
tum.

PIÆ CONSIDERATIO-
N E S.

I.

Vbi animaduerteris Solem Iustitiae
in corde tuo occumbere, & dis-
parere gratiam, consolationem,
charitatis actus deferuescere, Spiritua-
lia omnia tenebrescere &c. Spem tuam
pone in hac luna, quæ dominatur, &
præest nocti: ortum eius audiè expecta,
obserua, fruere eius luce, attende quo-
tibi ambulandum. Gaudet viator no-
ctu, cui iter necessariò faciendum, si lu-
mine hoc frui possit, sine quo, in tene-
bris, cum periculo pergendum esset; in-
uoca hanc, Illuminare his, qui in tenebris,
& umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes
nostros in viam pacis, Roga, ut sua cœlesti
influentia, bona & salutaria in corde
tuo operetur.

2. Ca-

2.

Caue, ne causa sis alicuius Eclipsis,
 & defectus, per interpositionem terrenorum desideriorum: hæc Luna aliqui parata est tibi pleno lumine splendere.

3.

Caue aliud malum, ne ascendant ex corde tuo praui motus, qui nubes, & tempestates generent, & Lunæ splendorum tibi subtrahant, occultasque cœlestes influentias impedianter.

4.

Caue etiam inconstantiam, de qua Salomon, *stultus ut Luna mutabitur.* Perseste in benè cœptis, & sanctis tuis propositis.^a

5.

Recordare temporis, quando Luna non dabit lumen suum: b Tu vtere, & fruere, dum splendet. Erit enim tempus

Q 5

quan-

^a Eccli. 27.^b Matth. 24.

quando nec gloriostissima hæc Virgo,
etsi dulcissimo suo filio , flexis genibus
pro peccatore supplex fieret, quicquam
impetrare poterit: & tunc nec volet iu-
stissimi Iudicis sententiam mutare.

ORATIO.

O Elegans astrum, O amabile sydus,
cœlestis Luna , gratia Dei plena,
quæ huius Mundi tenebris præs, com-
mune peccatorum refugium, qui in te-
nebris, & vmbra mortis habitant ; Ah
fulge mihi pleno lumine , & illustra cor
meum: monstra viam , qua per obscura
securè gradiar: influe, & insinua te , po-
tentibus radijs, & occultis auxilijs ope-
rare in me opus salutis. Purifica cor me-
um, ne ex terrenis desiderijs nubes inde
consurgant, & se inter me & te interpo-
nant , quæ salutare illud lumen mihi
subtrahant, & tempestatibus cor meum
inquietent. Id ardentissimis votis, à te
humillimè peto dulcissima Virgo Ma-
ria. Quæ in cœlis coronata.

ELE-

ELECTA VT SOL.

Vide supra, Mulier amicta Sole.

T E R R I B I L I S V T C A-
S T R O R V M A C I E S O R-
D I N A T A . a

Terribilis est hæc Virgo communi
nostro hosti, ex vaticinio, & Dei
decreto, quando serpenti dixit, ip-
sa conteret caput tuum.^b Vnde Fulber-
tus Episcopus Carnotensis ait: *Contriuit*
Maria Virgo caput serpentis, seruando Virgi-
nitatem, & humilitatem, quia & hac ex-
tinxit mentis superbiam, & illa carnis con-
cupiscentiam. Contriuit potentiam Sathanæ
per filium, quem genuit, spoliando illum do-
minio suo. Contriuit astutiam eius, nempe
sapientiam terrenā, per paupertatē Spiritus.
Vnde de illa dici potest, Una mulier Hebræa

Q. 6

fecit

a Cant. 6.

b Gen. 1.

fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.
S. Bernhardus. a Tu terribilis es O Virgo,
ut castrorum acies ordinata: An non horru-
runt principes tenebrarum, quando viderunt,
præter morem, armatura fortiore instructam:
contra se procedere fœminam, fœminam for-
tem, ad bellum dōctissimam, cuius ensis super
femur suum propter timores nocturnos. In cir-
citu eius acies valida spiritualium Virtu-
tum, suo se inuicem ordine tuentium. Sed &
innumerabilium Beatorum Spirituum mili-
tiam ad ministerium tanti Principis delegatā
fuisse, nullatenus ambigimus; vt pote qui cu-
stodirent lectulum Salomonis gratissimum,
ne præparatum aeterno Regi hospitium, alienus
hospes inuaderet. Nimirum timor, & tremor
super eos venerunt. Nihil addo tam claris
tantiviri verbis, ad propositum nostrum ex-
plandum.

Guilelmus paruus, super hunc locum
ita habet: Ex quo Mariae Dei filium peperit,
terribilis Dæmonibus fuit: Cum enim vide-
rent eam integritate simul & prole gauden-
tem,

a In deprecat. ad Virg. Tom. 2.

tem, vehemens illis suspicio incidit, ne forte illa genuisset tot propheticis vocibus olim prænuntiatum Messiam, per quem eorum imperium rueret. Itaque Virginitate illius puerperæ, nihil eis tunc terribilis. Cumque in ipsum puerum intenderent, & aduerterent etiam Angelos de ortu eius gloriantes, stellāq; super eum radiantem, Magos ad eum de regione longinqua cum mysticis muneribus prope rantes &c. per singula crescebat suspicio, ex suspitione formido &c. Si ergo timuerunt Matrem vagientis in cunis, pro sola suspitione Diuinitatis eius liquidè comperta, reformidant Matrem sedentis ad dexteram Dei Patris &c.

Non pauca exempla reperire est, vbi solum nomen Mariæ ita Dæmonibus terrificum fuit, a. vt velut rapaces aues territi, ex vnguis prædam dimiserint, deceptas nimirum, & fraude partas animas. Terret hostem in acie ordinata, multitudo, & numerus militum, pulcher ordo, armorum genus, peritia militandi,

Q 7 sapi-
a S. Brigitta in suis reuelat.

sapientia Ducis, opportunitas loci, cre-
bræ victoriæ: quæ omnia in Beatissima
Virgine omnibus numeris absoluta re-
periuntur. Quod ad numerum & mul-
titudinem militum attinet, subit animū
illud Christi Domini ad Petrum; a *an-*
putas, quia non possum rogare Patrem meum,
& exhibebit mihi plus quam duodecim legio-
nes Angelorum? An verò fas erit dubitare,
quia dum pugnat hæc contra hostes
suos, minus habere poterit, si à filio suo
petat, *cui data est omnis potestas in cælo, &*
in terra? Sēsit Iulianus Apostata, (S. Basí-
lio teste,) S. Mercurij Martyris hastam,
iussu huius Virginis eius lateri impactā.
Senserunt alij plures Tyranni, qui Ec-
clesiam Christi infestarunt, huius Ad-
uocatæ, & Ecclesiæ Patronæ opeim, quæ
integras Barbarorum, & aliorum Eccle-
siæ hostium acies stravit. Et hoc quo ad
externum Angelorum subsidium.

Quoad Spiritus nequam, terret eos
multitudo, & numerus propriarum Vir-
tutum,

a Matt. 26.

tutum, & prærogatiuarum huius Virginis, ad quarum conspectum tremunt, nec hiscere audent, ita minaci ordine cōdensatæ sunt: hæc arma, Dæmonibus, vel ostensa, & intentata horrent. Peritiā militandi huius Virginis, nimis experti, quia toties prostrati. Pro opportunitate loci, de alto pugnat, de cœlis inquam, contra hos malignos Spiritus tonat, & fulmina iacit. Terribilis est Hæresiarchis, qui Diuinitatis, SS. Trinitatis, incarnationis mysterium, & Matris Virginitatē, blasphemō ore oppugnare ausi sunt: hi ardent in flammis sempiternis, ipsa autem triumphat in cœlis. Habuit suos propugnatores, Ecclesiæ Doctores, quibus arma suppeditauit, sapientiam inquam, atque eruditionem, & zelum; hi similes bestias confecerunt. Vnde ei Ecclesia hoc Epinicion canit, *Gaudete*.

*Maria Virgo, cunctas hæreses soli interemisti, in vniuerso
Mundo.*

PIÆ

PIÆ CONSIDERATIO-
N E S.

I.

Magna spes, & fiducia, in hac terribili castrorum acie ponenda. Licebit illud Dauidis usurpare: Si exsurgant aduersum me castra, non timebit cor meum; si exsurgat aduersum me prælium, in hac ego sperabo. Quia, si hæc pro nobis, tot victorijs assueta, tot triumphis clara, quis contranos?

2.

Huic exercitui me immiscebo, hinc arma sumam. Si infester à superbia, humilitatem huius Virginis opponam, si à molli carne, huius Virginitatem, immaculatam conceptionem, totius vitæ innocentiam, & Angelicam puritatem, expedita machæra ostendam. a Compatur hæc Virgoturri Dauidicæ, ex qua mille

a Cant. 4.

mille pendent clypei , omnis armatura fortium. Placuit Romanis clypeus aureus, à Iudæis in symbolum fœderis donatus, innarum mille. Sed nihil ille ad nostrum clypeum omnium sperantium in ea: ad hanc clypeum omnia hostis tela dissiliunt, sicut sagittæ paruulorum sunt plagiæ eorum.

3.

Neque verò tantum latere decet, in hac instructa acie, ut ignauus miles, alieno præsidio tectus, & securus. Arma propria comparanda sunt; assumendus animus, insurgendum ad pugnam, orandus Deus cum Dauide, ut doceat manus ad prælium, & digitos ad bellum..

4.

Vt acies hæc ordinata sit, agglomeratæ Virtutes erunt, ne vlla ex parte hosti aditus pateat; Vir virum, pes pedem premit. Ita Rupertus Abbas in hūc locum: *Scimus quia castrorum acies, tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constituta,*

pata, vt in nullo loco intercepta videatur:
 Nam si ita disponitur, vt locus vacuus, per
 quem hostis possit ingredi, dimitatur, profe-
 etò iam suis hostibus terribilis non est. Et nos
 ergo, quando contra malignos Spiritus certa-
 men ponimus, summopere necesse est, vt per
 charitatem simus semper vniuersi.

S.

In apertum porrò campum, magno
 animo, & heroico gradu obuiam hosti
 procedendum, eique minaci framea in-
 fultandum, vt ei terribilis appareas.

ORATIO.

O Me ripsa spidem, & ignauum mi-
 litem, Clarissima triumphis Vir-
 go Maria, sub tuo quidem præsi-
 dio, & in castris tuis tutus ero, sub tuo
 scuto inexpugnabili securus latebo; &
 sed doce etiam manus meas ad prælium,
 sup-

a Sap. 5.

suppedita arma , animos mihi adde , vt
audeam , & dextrè queam hosti meo ob-
uiam procedere , intentatos mihi ictus
eludere , in ipsum retorquere , ferire,
sternere , veri denique militis Christiani
officium præclarè facere , & te Duce , ac
Magistra , crebrò de hoste triūphare ei-
que terribilis apparere . Quæ in cœlis co-
ronata triumphas in omnem æternita-
tem .

SOLIVM GLORIAE
DEI.

Vide in Lauretanis : Sedes Sapientiæ,
fol. 56.

EPI-



EPILOGVS.

HÆc pauca de mysterijs, in Litanij, Beatissimæ Virginis, APIS mea ARGUMENTO SA delibauit, mel forte non ingratum labijs puris. Concludo ergo cum mellifluo Bernardo: a Sileat misericordiam tuam, O Virgo Beata, si quis est, qui inuocatam te in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse. Nos quidem seruuli tui, ceteris in Virtutibus congaudemus tibi, sed in hoc potius nobis ipsis. Laudamus Virginitatem, humilitatem miramur, sed Misericordia miseris sapit dulcissimus, Misericordiam amplectimur charius, recordamur sepius, crebrius inuocamus: hæc est enim, quæ totius Mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Quis ergo Misericordia tua, O Benedicta, longitudinem, & latitudinem, sublimitatem & profundum queat intelligere? Nam longitudo eius usque ad diem nouissimum, inuocantibus eam, subuenit:

a. Serm. 4. de Assumpt.

uenit vniuersis. Latitudo eius replet Orbem terrarum, vt tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic & Sublimitas eius ciuitatis supernæ inuenit restorationem, & profundum eius, sedentibus in tenebris, & umbra mortis, obtinuit redemptionem.

Quid ergo ad MARIAM accedere trepiditas, humana fragilitas? a nihil austrum in ea, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offerens, lac & lanam.

Ah cui animus non crescat sub tantæ Patronæ protectione? quis in precibus eius non magnam spem ponat, cuius efficaciam orandi apud Deum, non tantum singulorum, sed & omnium simul Sanctorum preces superare admodum probabile est; b ita vt si contingeret omnes Angelos, & Sanctos, aliquid à Deo impetrare non posse, hanc ego VIRGINEM DEIPARAM (si æquum ei videtur, à Deo id postulare) existimem haud dubio impetraturam. Rursus, si Bma Virgo

a Idem Ser. 7. super signum magnum.

b Suar. To. 2. Disp. 23. Sect. 2

Virgo aliquid à Deo serio postularet, licet tota Curia Cœlestis , ex peculiari quadam sancta intentione dissentiret, (sicut de pio quodam certainine inter Angelos apud Danielem legimus) & potentiores tamen futuram esse censeo, maiorisque efficaciæ , & valoris Orationem B. Virginis, quam & Angelorum, & Sanctorum simul omnium.

a Cap. 10.

Ergo Virgo misericordia,
Et à malis metuere.
Fida Mater filiorum,
Et Patrona miserorum:
Audi preces magni R̄ei,
Qui pauescit iram Dei;
Mecum simul supplica,
Pande Nato viscera:
Meum scelus expiabis,
Et quod peto impetrabis,
Hic in terris gratiam,
Et optatam patriam.
Amen.

Si

i-
ri
t,
er
-
,
-
x

Si quæ, in hoc libello, S. Romanæ
Ecclesiæ displiceant, dicta non sint, tol-
luntor, cremantur.

F I N I S.



Th
2713